TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS

JUXTA JUS NOVISSIMUM

SACERDOTIS

VINCENTII APICELLA

CUM

ADDITIONE TRACTATUS DE MONIALIBUS.

NEAPOLI MDCCCXXVIII.

Typis Antonii Garruccio

Superiorum permissu.

AUCTORIS PRAEFATIO.

Ut summo imperanti, auctoritate a Deo accepta, prout rerum, ac temporum ratio postulat, ad felicitatem sui populi novum jus promulgare fas est, ita cives, ut sua munera expleant, ad hujus juris normam actiones suas componere debent. Ex qua re illud potissimum consequitur, ut ab iis, qui excipiendis fidelium confessionibus admissi sunt, ad judicium actuum recte ferendum, juris ipsius cognitio omnino sit comparanda. Itaque cum id onus succollare non dubitaverim, ad morales disciplinas sacerdotes informare, eos praesertim, qui earum periculum subituri sunt, mei muneris partes esse censui, opusculum de Contractibus *ad novissimae legislationis normam accommodatum exarare, illudque typis committere. Neque enim dubitare fas est, quin quamplurima novis legibus in hoc genere invaluerint, multa exoleverint. Nec vero abs re esse duxi appendiculam de* Monialibus *adjungere; hac enim de re disputatio ad hoc usque tempus non nisi chartis calamo signatis commissa legitur. Quare vos oro obtestorque, ut qualecumque, et quantulumcumque id sit benigne excipiatis. Valete.*

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Q. Quid contractus?
R. Contractus est duorum, vel plurium in idem placitum consensus. Ita Ulp. leg. 1. ff. de pactis, et art. 1055. lib. 3. tit. 3. cap. 1.
Q. Quotuplici modo potest accipi contractus?
R. Duplici modo, stricte scilicet, et late. Contractus stricte sumptus, qui dicitur absolutus, proprius, et perfectus, definitur ultro, citroque obligatio; seu actus justitiae commutativae utramque partem obligans; ut venditio, emptio etc., idem Ulp. in l.9. ff. l.1. tit. 16. de verborum significatione. Contractus late sumptus, qui cum pacto coincidit, et complectitur omnes contractus gratuitos, et definitur a Salmaticensibus conventio duorum obligationem saltem in alterutro pariens, ut promissio etc.
Q. Quotuplex est contractus?
R. Multiplex, et 1. formalis, seu expressus, et virtualis, sive implicitus, qui dicitur quasi contractus. Formalis est ille, quo duo, vel plures expresse conveniunt de eadem re, cum obligatione mutua; vel saltem unius erga alterum. Virtualis est, quo tacite suscipitur obligatio justitiae ex aliquo facto

tuum etc. Et olim perficiebantur etiam verbis, ut stipulatio, seu obligatio verborum, et acceptilatio, per quam obligatio verborum orta stipulatione tollitur contraria obligatione verborum.

Q. Danturne contractus, in quibus datur locus paenitentiae?

R. Olim dabantur aliqui contractus innominati, sed jure Romano, novo, et jure novissimo non dantur.

De qualitatibus Contractuum.

Q. Quot sunt qualitates Contractuum?

R. Sunt plures, scilicet adjectio diei, conditio, modus, demonstratio; et causa.

De contractu adjectione diei celebrato.

Q. Contractus adjectione diei celebratus quando obligat?

R. Dist. vel contractus celebratus fuit adjectione diei certae, ut dono tibi centum die Paschae, et statim obligat, quia dies censetur appositus non causa suspendendae obligationis, sed differendae solutionis. Verum ex jure novissimo si debitor suum prodigat patrimonium, vel Creditoris cautiones suo facto imminuat, beneficio adiectionis uti nequit. art. 1141. cod. civil. Vel fuit celebratus adjectione diei incertae, ut dabo tibi centum, quando navis ex Indiis venerit, et non obligat nisi adveniente die, quia habe-

tur ut factus sub conditione. l. 36. stipulatio ista Tit. 1.

Q. Danturne casus, in quibus esto contractus sit stipulatus adjectione diei incertae, attamen obligat a principio?

R. Affirm. et 1. quando dies est certo futurus, licet sit incertum quando, ut si promittat alicui centum, cum ejus pater moriatur, quia ille dies non censetur appositus ad suspendendam obligationem, sed ad differendam solutionem 2. quando dies incertus fuit appositus in gratiam solius promissarii; ut si promittat famulo suo centum aureos nummos propter servitia sibi praestita, cum matrimonium contraxerit, quia absolute illi fuit facta promissio. Ita apud Leyman.

De contractu sub conditione.

Q. Quid conditio?

R. Est ratio, qua id omne, quod agitur, in futurum eventum suspenditur. Art. 1121.

Q. Quotuplex est conditio?

R. Jure novissimo triplex, scilicet 1. impropria, 2. propria, dicta, etiam suspensiva, et 3. resolutiva. 1. dicitur, quando est de futuro necessario, de praesenti, vel de praeterito, vel de futuro necessario, et minime consensum suspendit. 2. dicitur, quando est de futuro contingenti, et suspendit consensum 3. Illa dicitur, qua verificata contractus perfecte celebratus resolvitur, et

omnia ad pristinum revocantur art. 1136.
Q. Quaenam dicitur conditio impossibilis?
R. Jure novissimo nomine conditionis impossibilis intelligitur sola phisica.
Q. Quotuplex est conditio de futuro contingenti?
R. Duplex, scilicet honesta, et turpis, dicta jure novissimo contra bonos mores, vel contra legem, 1. verificari potest absque peccato, 2. adimpleri nequit sine peccato.
Q. Quibus particulis exprimitur conditio?
R. Si, nisi, alioquin.
Q. Contractus sub conditione celebratus valetne?
R. Vel fuit celebratus sub conditione propria, honesta, et possibili, sive suspensiva, et contractus est suspensus, nec valet a principio, sed verificata conditione, quia tunc habetur consensus art. 1134. Vel fuit celebratus sub conditione impropria, et est a principio validus, quia ista consensum non suspendit. art. cit. 1134. Vel denique fuit celebratus sub conditione resolutiva, et tunc a principio valet; sed verificata conditione, contratus resolvitur, et omnia ad pristinum revocantur art. 1136.
Q. Num oriatur aliqua obligatio ex contractu sub conditione suspensiva celebrato?
R. Affirm., scilicet oritur obligatio imperfecta expectandi eventum, et interim non reddendi se impotentem ea verificata. Imo creditor jus habet exercendi omnia, quae tendunt ad conservationem sui juris. Art. 1135.
Q. An fiat validus contractus celebratus sub

conditione, ac proinde fiat absolutus, si per debitorem stet, quominus verificetur conditio?

R. Affirm. quia in hoc casu conditio habetur ut adimpleta. Art. 1131.

Q. An valeat contractus celebratus sub conditione impossibili?

R. Neg., quia ad impossibilia nulla obligatio. art. 1125. excipe si conditio impossibilis ponatur in donatione inter vivos, aut in ultimis voluntatibus, art. 816. aut in matrimonio, quia in his habetur tamquam non apposita, modo non apponatur ut conditio *sine qua non.*

Q. An valeat contractus celebratus sub conditione turpi?

R. Neg., quia ad illicita nulla obligatio. Art. 1125., excipe quando ponatur in donatione inter vivos, in testamento, art. 816, et in matrimonio, quia habetur ut non posita; modo haec non ponatur ut conditio *sine qua non*, et modo in matrimonio non sit contra tria bona substantialia matrimonii.

De contractu celebrato sub Modo.

Q. Quid modus, et quibus particulis exprimitur?

R. Modus est clausula, qua adjicitur onus contrahenti, sed consensum non suspendit. Exprimitur particulis *ut*, *ne*, *ad*, *pro.*

Q. Contractus celebratus sub modo, quando obligat?

R. A principio, quia a principio habetur consensus, cum modus non suspendat consensum.

Q. An legatum promissum sub modo possit peti ante adimpletionem modi?

R. Aff., sed legatarius, vel promissarius debet fidejussionem dare de modo adimplendo.

Q. Quid si legatarius, vel promissarius moriatur ante adimpletionem modi?

R. Omne jus transfertur ad haeredes ex L.4. Testatore ff. de eodem.

Q. An contractus celebratus sub modo turpi, vel impossibili valeat?

R. Aff., quia habetur tanquam non appositus; et modus quia est veluti accessoria obligatio, qua corruente propter suam impotentiam, non corruit pactio principalis, dum principale non pendet ab accessorio. Verum si hic modus apponatur ut conditio *sine qua non*, tunc contractus est invalidus, quia tunc est contractus sub conditione turpi; vide superius de conditione.

Q. An possit revocari donatio, vel legatum, quando modus honestus, et possibilis non servatur a donatario, vel legatario?

R. Si modus est appositus ut conditio *sine qua non*, potest revocari, sed tantum debet compelli donatarius, vel legatarius ad modum servandum, vel praestandum modi exstimationem. Verum donatio facta ad causas pias nullo modo revocari potest, nisi in donatione hoc sit expressum, quia praesumitur principaliter facta propter Deum, et pro re-

medio peccatorum. Ita ex cap. IV. Verum de conditionibus appositis.

Q. Quid si in donatione Ecclesiae facta expressum fuerit, ut modo non servato revocetur donatio, et modus non servatur?

R. Talis donatio revocari nequit, si modus non servetur defectu solius Praelati; quia Praelatus nocere non potest Ecclesiae in jure acquisito, sed tantum in jure acquirendo, uti si esset donatio sub conditione facta, quae defectu solius Praelati non adimpletur. Ita Lay.

De contractu sub demonstratione celebrato.

Q. Quid demonstratio?

R. Est appositio signi ad ostendendam rem de qua contrahitur; et explicatur per *qui*, *quae*, *quod*.

Q. An contractus celebratus sub demonstratione falsa sit validus?

R. Contractus onerosus non valet, quia quando res demonstrata in oneroso contractu non est, non habetur consensus. Contractus gratuitus vero valet; ut patet ex illo vulgari dicto: *A cavallo donato non si guarda in bocca*.

Q. An legatarius possit retinere fundum quoad omnia jugera in casu, quo fundus reperiatur pluribus jugeribus, ac fuit a testatore demonstratus?

R. Aff. quando demonstratio mensurae fuit apposita ad rem demonstrandam, seu demon-

strative, non vero ad eam taxandam, seu taxative; verum semper est inspiciendo voluntas testatoris. Ita Donat.

Q. Quando demonstratio dicatur demonstrative, et quando taxative facta?

R. Demonstrative, quando incipiat a re. Taxative, quando incipiat a mensura.

De contractu sub causa celebrato.

Q. Quid causa?

R. Est ratio expressa, propter quam contrahitur?

Q. Quotuplex est causa?

R. Duplex, scilicet motiva, seu finalis, et impulsiva. 1. est illa, quae movet disponentem ad disponendum ita, ut sine ipsa non disposuisset. 2. Est illa quae impellit disponentem ad disponendum ita, ut sine illa etiam disposuisset, sed non tam de facili.

Q. Quibus particulis explicatur causa?

R. *Quia*, *quare*, *propter quod*, et caet.

Q. Contractus sub causa celebratus estne validus, si causa non subsistat?

R. Est nullus, si contractus sit celebratus sub causa motiva, modo aliter non constet, vel rationabiliter non praesumatur de voluntate disponentis, quia ex intentione ejusdem dispositio vim habet. Art. 1085. Est validus, si celebratus sit sub causa impulsiva, quia causa non subsistente, cum etiam disposuisset, habetur consensus.

Q. Quid si contractus sit celebratus sub causa turpi ?

R. Est nullus. Art. 1085., et 1087.

Q. Quid si dubitetur an fuerit motiva, vel impulsiva ?

R. Praesumendum fuisse impulsivam, quando disponens intendebat favere ei, pro quo disposuit.

De iis, qui possunt contrahere.

Q. Quid requiritur ad valide contrahendum ?

R. Requiritur 1. mutuus consensus; 2. habilitas contrahentium; 3. res determinata, vel determinabilis, et 4. causa licita obligatoria. Art. 1062.

Q. Quinam contractus defectu consensus sunt nulli ?

R. Contractus celebrati per vim, vel per metum, aut per dolum.

Q. Quid error, et quotuplex ?

R. Est acceptio unius rei pro alia; et duplex est, circa substantiam, et circa qualitatem. Circa substantiam error habetur, quando quis credit inire contractum de una re, e. g. de argento, et contrahit de alia e. g. de plumbo. Error vero circa qualitatem habetur, quando quis credit inire contractum de re affecta aliqua qualitate, et postea invenit illam ea destitutam, e. g. quis credit emere equum strenuum, et postea invenit pigrum. Qui error tam circa substan-

tiam, quam circa qualitatem potest esse antecedens, seu dans causam contractui, seu incidens in contractum. Primus est ille, quo ablato contractus non fuisset celebratus, secundus est ille, quo ablato etiam contractus fuisset celebratus, sed non tam de facili seu tanto pretio.

Q. Quid, et quotuplex dolus?

R. Dolus generaliter acceptus est machinatio adhibita ad alterum decipiendum, dum aliud intelligitur, et aliud simulatur. Ita ex L. 1. hoc edicto ff. 2. dolum Lib. 4. tit. 3. de dol. mal. Quia dolus duplex est, bonus scilicet, et malus. Dolus bonus est habitus ad inveniendum de repente id, quod congruit, ut loquitur Paulus 2. ad Cor. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi, idest dolo bono ad vestrum profectum spiritualem*. Dolus malus vero est omnis calliditas, fallacia, vel machinatio adhibita ad alium circumveniendum, fallendum, vel decipiendum. Hinc sciendum 1. quod calliditas habetur, quando quis taciturnitate alium decipit. Fallacia, quando mendaciis, et machinatio, quando artificio verborum quis alterum decipit.

II. Quod dolus et fraus aeque ac error vel est circa substantiam, vel circa qualitatem; vel antecedens, vel concomitans.

III. Tandem quod error, et dolus potest procedere vel ab alio contrahente, vel a tertia persona, vel ab ipso decepto, qui sua ignorantia absque alterius malitia erravit.

Q. An dolus differt a culpa juridica?
R. Affirm. quia in dolo habetur animus decipiendi; in culpa juridica habetur tantum negligentia debitae diligentiae, ut ex L. 3o. latae culpae ff. L. 1. tit. 6. de verbo cum significatione.
Q. An dolus differt a fraude?
R. Nego quoad substantiam, quia uterque est ad decipiendum proximum. Affirmative vero quoad modum, quia dolus proprie fit verbis, vel factis, fraus vero magis factis; juxta D. Thomam; quapropter omnis dolus est fraus, non vero e contra.
Q. Quinam contractus sunt nulli, quia celebrati per dolum, vel per errorem?
R. Illi, qui sunt celebrati per errorem, vel per dolum circa substantiam, quia errantis nullus est consensus, ut ex L. 9. non idcirco L. 1. tit. 18. de juris, et facti ignorantia, et cod. art. 1063. Si vero celebrati sint per errorem, vel per dolum circa qualitatem contractus sunt validi, modo qualitas a contrahente non sit apposita ut conditio *sine qua non*, quia habetur consensus.
Q. Quo jure sunt nulli contractus celebrati per vim, et per errorem, vel dolum circa substantiam?
R. Licet a principio sint nulli jure naturae, quia non est actio voluntaria, ac a principio deficit consensus; attamen ex jure novissimo positivo contractus sic celebrati non sunt nulli ipso facto, sed tantum dant locum, et jus ad eorum nullitatem, vel re-

scissionem petendam. Art. 1071. ex Tit. 3. et cap. 2.

Q. Quanto tempore potest quis petere nullitatem, vel rescissionem horum contractuum sic celebratorum?

R. Decennio, decurrendo a die cognitionis erroris, aut doli, et a die quo vis cessat. Art. 1258 detto tit. sec. VII.

Q. An validus sit dicendus contractus, quando error qualitatis est antecedens, ita ut si scivisset, non contraxisset?

R. Litigium est inter doctores.

Q. An contractus errore, vel dolo circa qualitatem celebrati possint infirmari?

R. Dist. vel dolus, et error est concomitans, non possunt, quia non habetur ratio, cur remoto errore, sive acquisita scientia veritatis, contractus debeat infirmari, cum si error fuisset cognitus, etiam contractus fuisset celebratus. Vel error, et dolus est antecedens, potest infirmari per postulationem restitutionis in integrum, modo contractus sit dissoluibilis, et concurrant ea omnia, quae requiruntur pro restitutione in integrum.

Q. An tum ex dolo, tum ex errore oriatur obligatio restitutionis, si ex illis eveniat alteri damnum?

R. Ex errore absque dolo, et culpa non oritur restitutionis obligatio, quia ad inducendam obligationem restitutionis quoad damna requiritur culpa theologica. Ex dolo vero oritur, quia habetur culpa.

Q. Num persona, cum qua contrahitur sit objectum substantiale, vel accidentale?

R. In aliquibus contractibus ut in matrimonio, donatione, testamento etc. est substantiale, quia voluntas contrahentis versatur circa certam personam. In aliis vero est accidentale, quia nihil interest contrahenti, num contrahitur cum hac, vel cum alia persona.

Q. An contractus metu celebrati possint infirmari?

R. Vel sunt celebrati per metum gravem, et possunt infirmari in utroque foro, etiamsi metus sit a tertia persona incussus, ad tollendam injuriam. Vel sunt celebrati metu levi, possunt tantum in foro conscientiae ad tollendas infinitas lites, modo sint dissolubiles.

Q. An contractus metu reverentiali celebrati validi?

R. Aff., quia hic metus non tollit voluntatem. Possunt tamen in utroque foro infirmari ad tollendam injuriam, quando hic metus efficit consensum secundum quid involuntarium, scilicet quando quis ita consentit in aliquam rem, ut deposito tali metu non consensisset.

Q. Quando habetur metus reverentialis?

R. Habetur apud filios respectu Patris, apud subditos respectu Principis, Praelati, et caet.

Q. Contractus precibus importunis celebratus estne validus?

R. Respondetur, ut dictum est de illis metu reverentiali celebratis.

Q. Quinam contractus sunt invalidi defectu secundae conditionis, scilicet defectu habilitatis contrahentium?

R. Illi, qui celebrantur a Minori, Interdicto, a Muliere Nupta, et ab eo, cui lex vetat celebrationem quorumdam contractuum. Tit. 3. cap. 2. Sect. 2. art. 1077., et 1078.

Q. Quinam dicitur Minor?

R. Qui nondum habet aetatem XXI. annorum completorum, sive sit mas, sive foemina. Tit. X. de min. aetate Capite 1. art. 311.

Q. An detur discrimen inter puberes, impuberes, pupillos, et minores?

R. Ex veteri jure dabatur; nam impubes erat, qui pubertatem nondum nactus, quae in viris XIV. anno completo, et XII. anno completo in foeminis habebatur. Imo a septennio usque ad decimum annum cum dimidio vir dicebatur proximus infantiae, foemina vero septennio usque ad nonum cum dimidio. A X. cum dimidio vir usque ad XIV., et a nono cum dimidio usque ad XII. foemina vocabantur proximi pubertati. Pupillus autem dicebatur, qui non adepta pubertate patrem amittebat, sed nunc ex novissimo jure nulla adest distinctio inter puberes, impuberes, pupillos, et minores, nam omnes cives utriusque sexus vel minores sunt, vel majores, qui ultimi sunt tales completo anno XXI. L. 1 de personis. Tit. XI. cap. 1. art. 411.

Q. Quinam dandus est minori?

R. Si est emancipatus curator; alias Tutor, sed hoc modo. Si minor utrumque parentem habeat, tunc pater est administrator, si alterutro caret superstes est tutor. Verum potest pater relinquere contutorem matri superstiti. Si utroque caret, et nullus tutor relictus est ab ultimo moriente, tunc, tutor minoris erit avus paternus, et eo mortuo avus maternus, deinde atavus paternus, et post eum atavus maternus. Art. 328. Si omnes mortui, vel ab hoc officio exonerati sint, tutor est eligendus a consilio familiae art. 326 et seq.

Q. An Minori praeter Tutorem dandus est alius?

R. Tutor surrogatus a Consilio familiae, cujus est, jura contra Tutorem defendere, art. 342.

Q. Ad quid tenetur Tutor?

R. I. Ut bonus paterfamilias negotia minoris, administrare, art. 373. II. post decem dies a sua electione conficere inventarium bonorum minoris coram Tutore surrogato, in quo sua jura, si quae habeat, contra minorem exprimenda sunt sub poena ea amittendi. Art. 374. III. Demum hujus administrationis, finita tutela, rationem reddere minori cum Curatore ad hoc a Consilio familiae electo, quando tutela cessat per emancipationem art. 403.

Q. An Tutor possit omnia Minoris negotia gerere?

R. Neg.; nam non potest 1. bona minoris emere, aut conducere 2. res immobilites minoris vendere, art. 380 et mobiles, quae a Consilio familiae excipiuntur, cum reliquas teneatur vendere sub hasta, art. 375. 3. accipere, aut repudiare haereditatem, vel donationem. 4. bona minoris hipothecare. 5. mutuum accipere. 6. lites pro minore intendere super rebus immobilibus. 7. postulare divisionem. 8. denique instituere transactiones. In quibus omnibus requiritur Consilium familiae confirmatum a Tribunali Civili; et in transactionibus sententia trium istorum, qui sunt ab ejusdem Tribunalis Regio Procuratore assignati, ut art. 373 et seq. cod. civil.

Q. Danturne contractus, quos minor sine tutore, et judice potest valide contrahere?

R. Aff., et 1. quando donat in contractu matrimonii alteri sponso, quod ex lege potest major in eodem casu, modo adsit consensus illorum, qui requiritur ad contrahendum. Art. 1049, et 2. quando testatur medietatem bonorum, sicut jus majori permittit, modo habeat aetatem XVI. annorum. Art. 820.

Q. An in contractu a minore nulliter celebrato alter contrahens remaneat obligatus?

R. Aff., nec potest opponere minoris incapacitatem. Art. 1079.

Q. Quinam decitur Interdictus?

R. Est major, cui per sententiam interdicitur bonorum suorum administratio, quia est aut

imbecillis, aut demens, aut furiosus, etsi habeat aliquod lucis intervallum. Art. 412.

Q. Quinam dandus est Interdicto?

R. Tutor, et alius surrogatus, quia tenetur ad omnia, ad quae pro minore teneretur. Art. 428.

Q. Quosnam contractus nequit mulier nupta celebrare?

R. Sine viri auctoritate non potest 1. judicium forense agere; etsi ante matrimonium sit institutum; non vero judicium contra virum instituendum, art. 204. II. Res immobiles donare, vendere, hipothecae subjicere, donationes acceptare. Art. 206 haereditatem inire. 693, unico verbo omnes contractus celebrare; art. 1078.

Q. Quid si vir auctoritatem mulieri praestare nequeat, vel sit absens, vel legaliter interdictus, aut paena a reatu infamante proveniente damnatus, aut sit minor?

R. In hisce casibus facultatem in judicio agendi, vel contrahendi, a judice petere potest. Art. 207, 208, 210, et 211. Actus vero auctoritate judicis initi virum non obligant etiam in communione bonorum. Art. 1397. nisi cesserint in beneficium viri, vel ipsius societatis, vel filiorum, viro absante, art. 1398.

Q. Quid si mulier nupta in his casibus sit minor?

R. Per Tutorem judiciariae potestatis petitio facienda est.

Q. An adsint casus, in quibus mulier nupta

non indiget auctoritate viri nec judicis ad valide contrahendum?

R. Aff. et 1. quando exerceat mercaturam separatim a viro consensu expresso, vel tacito ipsius viri in rebus ad ipsam mercaturam pertinentibus. Imo si habeatur communio bonorum, vel societas inter ipsos conjuges, vir remanet obligatus. Art. 209 et 1397. 2. donationem auctoritate viri acceptatam sine alio consensu transcribere. Art. 864. 3. donationem facere viro ob contractum matrimonii. Art. 1046, et factam, matrimonio durante, revocare art. 1050. 4. inscriptionem petere ob hypothecam dotis legalem. Art. 2026. 5. Acceptare donationem filio minori factam. Art. 859. 6. Administrare bona, quorum separatio auctoritate judicis secuta, vel conventa est: necnon mobilia vendere art. 1413. 7. donare filiis bona sua, art. 206, modo non sint bona communia, vel dotalia, quia in his requiritur auctoritas judicis. Art. 1398. 8. tandem condere testamentum. Art. 216

Q. An filius familias possit valide contractus celebrare?

R. Ante responsionem premittendum I. Filius familias est ille, qui sub patris jurisdictione sistit. II. Patria potestas jure novissimo est jus, quod tam pater, quam mater habet in filios tantum; verum viventibus parentibus a solo patre exercetur. Art. 288. et seq. III. effectus patriae potestatis est, quod pater, usquedum filius non perveniat vel

ad aetatem XVIII. annorum completorum, vel ad ejus emancipationem, habet usumfructum bonorum filii, tantum donatorum, vel acquisitorum sine expressa conditione, quo parentes non debeant gaudere. Et si mater hanc exerceat potestatem, quia vir mortuus est, tunc ista habet medietatis bonorum supradictorum usum fructum, usque dum filius perveniat ad aetatem majorem, idest XXI. annorum completorum, ut art. 298. et 301., quem usumfructum mater amittit, si ad secundas nuptias transet. Art. 300. His praemissis.

Respondetur filius familias si minor sit non potest contractus celebrare, ut diximus supra de minoribus art. 1077., nam pater est administrator bonorum filii minoris; qui quidem alienare potest bona istius mobilia, sed non immobilia; quum pro immobilibus judicis sententia requiratur, art. 291. et 292. Si vero filius familias sit major usque dum non perveniat ad annum XXV. completum, sine consensu patris, non potest I. hipothecare, donare, et alienare bona immobilia propria industria non acquisita. II. Pecuniam, vel genera in mutuum accipere, etiam velamine alterius contractus, et III. Restitutionem accipere capitalium propria industria non acquisitorum, nec pecuniam alicui scripto acceptam facere art. 395.

Q. Quid si pater nolit consensum praestare his contractibus?

R. Potest., et debet veniam a magistratu petere art. 296.

Q. Ad quid tenetur pater, et mater, qui usum fructum supradictorum bonorum filii minoris accipiant?

R. Tenentur I. ad onera, quibus obligantur usufructuarii, II. ad alimenta, et educationem filii prout bona, quae possident; III. Ad solutionem annualitatum non solutarum, et ad interessuria capitalium; et ad expensas infirmitatis, et funeris non patris; tunc enim cessaret usus fructus, non filii: pater enim proprietatem acquireret, sed personae, cujus filius sit haeres; ita interpetres. Hoc vero discrimine pater ad totum, mater vero ad medietatem. Art. 299.

Q. Quomodo cessat patria potestas?

R. Primo, emancipatione coram judice facta, quae ante annum XV. completum nequit exequi a Patre, vel a Matre; ante annum XVIII. vero si parentibus careat, art. 400; et 401. II. Matrimonio filii. III. Ejus habitatione a patris domu sejuncta, et IV. completo anno XXV. aetatis art. 288.

Q. Quando contractus sunt nulli ob incapacitatem rei, de qua contrahitur?

R. Quando res non est determinata saltem specie, vel ejus quantitas est incerta, nec determinari potest. Art. 1083.

Q. Quaeritur quotuplici modo potest esse juramentum in contractibus?

R. Duplex est, scilicet I. confirmans contractum, quod obligat virtute Religionis et justitiae, et transit ad haeredes, quum sit obligstio realis, nec potest relaxari, nisi ex urgentissima causa II. Per se stans, quod obligat tantum virtute Religionis, nec transit ad haeredes, quum sit obligatio personalis, et relaxari potest ex justa causa. Ita Salmat.

Q. An contractus nullus juramento firmetur?

R. Dist. Vel contractus est nullus jure naturae, juramento non firmatur, quia juramentum sequitur naturam contractus, cui adhaeret; hinc si contractus sua natura sit nullus, juramentum non reddit illum validum; vel contractus est nullus jure positivo, et subdist. Vel est nullus positivo jure, quia contra bonum commune, et juramento non firmatur, tum quia non potest servari absque peccato, tum quia jus publicum non potest pactu privatorum tolli. Vel est nullus jure positivo, quia contra bonum privatum, et juramento firmatur; quia unusquisque potest renunciare ei, quod in suum commodum est introductum.

Q. An juramentum confirmet contractum a jure nullum in odium creditoris.

R. Licet non confirmet contractum, quia si in odium Creditoris jus contractum rescin-

dat, ab eo, etiam actionem, et jus adimit adversus juramentum, attamen juramentum servari debet, si licite possit; quia semper tenemur Deum non adducere in testem mendacii.

Q. Quando licite servari possit juramentum, et debeat, licet non confirmet contractum?

R. Quando servari potest absque praejudicio tertii, et absque dispendio salutis etc.

Q. An dantur casus, in quibus juramentum de re licita non obligat?

R. Aff., et 1. quando jus Ecclesiasticum irritat non solum contractum, sed et juramentum appositum, uti Trid. Synodus Sess. 25. Cap. XVI. de Regul., irritat omnem renunciationem, et dispositionem Novitii etiam juratam, nisi facta sit cum licentia Episcopi, ejus viri intra duos menses proximos ante professionem, et 2. est, quando promissio jure facta in favorem tertii nondum est acceptata, quia promissio fit cum tacita conditione, si acceptetur.

Q. Quotuplici ex capite quis potest se eximere ab obligatione juramenti, quod non confirmat contractum in odium creditoris?

R. Triplici ex capite 1. petendo relaxationem. 2. impetrando a judice seu saeculari seu Ecclesiastico, ut compellat creditorem ad juramenti obligationem remittendam. et 3. per momentaneam solutionem satisfaciendo, et postea repetendo, quod datur.

Q. Quinam possunt juramenta relaxare?

R. Omnes Episcopi, et alii jurisdictionem qua-

si episcopalem habentes possunt relaxare omnia juramenta contractum non firmantia. Ita Salm.

De Restitutione in integrum.

Q. Quid restitutio in integrum ?
R. Est reintegratio prioris status.
Q. In quibus contractibus datur ?
R. In contractibus validis, et rescindendis, non vero invalidis.
Q. Quaenam conditiones requiruntur ad petendam hanc restitutionem ?
R. Plures, et I. ut patiatur damnum ex contractu non satis prudenter, et circumspecte celebrato, et II. ut damnum eveniat ex vi contractus, vel quasi contractus.
Q. Ad quos spectat restitutio in integrum ?
R. Jure novissimo I. ad minores, etsi laesio sit simplex, hoc vero descrimine, quod si sint non emancipati gaudent hoc beneficio in omnibus contractibus; si vero sint emancipati gaudent beneficio in illis contractibus, qui excedunt eorum capacitatem. Art. 1259. II. ad majores, sed in casibus in jure expressis. Art. 1267. scilicet in divisione haereditatis, si laesio excedat quartam haereditatis partem. Art. 807. In emptione, et venditione rerum immobilium si venditor laesus sit (emptor enim non gaudet hoc beneficio; art. 1529.) ultra pretii dimidium, aestimatione facta secundum rei statum tempore venditionis, etiam si huic be-

neficio expresse renunciaverit, seque reliquum pretium donare declaraverit, art. 1520. et seq.
Q. An hoc privilegio uti possint interdicti, mulieres nuptae, Ecclesiae, et Civitates?
R. Aff. Nam verbo minoris complectuntur interdicti, et nuptae; et Ecclesiae, et civitates reputantur tamquam personae. Art. 10.
Q. Quanti temporis spatium conceditur ad petendam restitutionem in integrum?
R. Jure novissimo decennium. art. 1258., verum si agatur de laesione in contractu emptionis, et vendictionis biennium: art. 1522.
Q. An dentur casus, in quibus minor non possit uti privilegio restitutionis in integrum?
R. Aff., et 1. si laesio orta sit ex casu fortuito, vel ex suo delicto, vel quasi-delicto 2. si publicus sit mercator, vel artifex in contractibus ad suam pertinentibus negotiationem, vel artem. 3. In conventionibus initis in contractu matrimonii, si acceperit consensus illorum, quorum auctoritas ad matrimonii validitatem requiritur. 4. si factus major contractum ratum habuerit, etiam si nullus fuit in sua forma. Art. 1260. et seq. 5. Demum si minor contractum juramento firmaverit, ut ex autentica... Verum, quum in novissimo jure nulla hujusmodi adsit lex, ideoque fortassis in foro fori actio civilis datur in hujusmodi contractibus.
Q. An minores uti possint privilegio restitutionis in integrum, quando in contractibus in

minore aetate initis omnes sollemnitates a lege praescriptas adsunt?

R. Neg. quia sic celebrans contractum habetur tanquam initus in majori aetate 1268. ideoque suas nequit oppugnare obligationes, nisi in casibus a jure expressis. Art. 1079.

Q. An teneantur restituire minores, quod eis solutum est ob contractum tempore minoris aetatis, quando admittuntur ad petendum beneficium restitutionis in integrum?

R. Neg., nisi certo probetur solutionem conversam esse in eorum utilitatem. Art. 1266.

AD COMPLEMENTUM CONTRACTUUM IN GENERE.

Q. 1. An contractus absque solemnitatibus a jure assignatis valeant?

R. Vel loquimur de solemnitatibus essentialibus, et non valent in utroque foro, quia leges, quae assignant istas solemnitates non fundentur in praesumptione doli, sed periculi. Vel loquimur de solemnitatibus accidentalibus, valent, quia res absque perfectione accidentali subsistere potest.

Q. 2. An omnis contractus obligat in conscientiam?

R. Ante responsionem sciendum, quod obligatio est juris vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum, faciendum, petendum. Quae triplex est, scilicet mere naturalis, quae scitur ex solo jure naturae, et semper

obligat in conscientiam, sed non parit actionem in foro externo. Mere Civilis, quae parit actionem in foro externo ob aliquam falsam praesumptionem. Mixta tandem, quae obligat in conscientiam, et parit actionem in foro externo. His premissis. Omnis contractus validus obligat in conscientiam; ut ex cap. de pactis.

Q. Quinam sunt effectus obligationis naturalis?

R. Plures, et 1. Creditor habet jus accipiendi, et retinendi, si, quod naturaliter ipsi debitum est, nulla opposita exceptione solvatur. 2. potest Creditor fidejussionem, ac pignus exigere. 3. debitor non potest repetere jam collatum, et tandem Creditor habet *jus compensandi. Ita Laym*

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE, ET PRIMO DE ONEROSIS.

De Emptione, et venditione.

Contractus Emptionis, et venditionis est ille, in quo de merce pro praetio determinato, vel de praetio pro merce determinata paciscitur, duorumque consensu completur.

Q. Quid emptio, et quid venditio?

R. Emptio est pactio pretii determinati dandi pro merce determinata venditio vero est contrarium.

Q. Quid nomine mercis, et quid nom. pretii.

R. Nomine mercis veniunt omnia mobilia, et immobilia, actiones, et jura, quae pecunia extimari, et compensari solent. Nomine pretii venit ipsum numisma, quod est pretium omnium rerum.
Q. Adestne differentia inter hunc contractum, et commutationis contractum?
R. Aff., quia in primo traditur res pro pecunia, in secundo vero res pro re.
Q. Adestne differentia inter hunc contractum, et cambii contractum?
R. Aff., quia in primo traditur res pro pecunia, in secundo pecunia pro pecunia.
Q. Quot conditiones ad contractum istum requiruntur?
R. Tres, scilicet merx determinata, pretium determinatum, et mutuus consensus.
Q. An sufficiat ut res sit determinata in spe?
R. Aff., quum sufficiat ut spes saltem sit determinata. Qua ratione potest emi jactus retis in flumen pro capiendis piscibus. Hinc pretium debetur, nisi aliunde de mente contrahentium constet, ut ex L. VIII. Ne emptio Aug. L. 18. tit. 1. de contrahenda emptione. Modo piscator non sit causa, ut pisces non capiantur, quia tunc tenetur emptori de interesse. Arg. legis si factu XV. Aug. 1. 19. tit. 1. de actionibus empti, et venditi.
Q. An sit valida venditio, quando pretii determinatio emptori remittatur?
R. Neg., quia non habetur pretium determinatum, et emptor in causa propria po-

test allucinari, ut ex L. XXXV. Quod loco cit. de contrahenda emptione.

Q. Quid si determinatio pretii tertiae personae remittatur?

R. Contractus est validus post determinationem factam a tertia persona, quia non habetur periculum allucinationis, et ex L. empt. et vendit. ff. 1. Pretium autem L. 3. tit. 26. de empt., et vendit., et art. 1437.

Q. Acquiriturne dominium ante traditionem rei in contractu emptionis, et venditionis?

R. Ex novissimo jure affirmative, quia contractus est perfectus, et dominium rei venditae transfertur emptori statim ac de merce, ac pretio conventum sit, etsi non sit sequuta rei traditio, nec solutum sit pretium. Art. 1428.

Q. Cuinam debetur res, quando est vendita duobus diverso tempore in solidum?

R. Ex jure novissimo; si res vendita sit immobilis, prior emptor semper est praeferendus, si contractum probet, etiamsi secundus vel tertius emptor citius contractum in publicis hypothecarum tabulariis inscripserit. art.2081. sed advertendum est, quod Creditores venditoris, quibus in rem venditam fuerit hipotheca, debeant intra quindecim dies a transcriptione venditionis sequutae, hipothecas anteriores inscribere, quo termino elapso hipotheca nulla redditur. Art. 2076. Si vero res vendita est mobilis, praeferendus est possessor, quamvis posterior in emptione, dummodo anterioris

inscius emerit bona fide. Art. 1095. Verum venditor in casu tenetur priori emptori de interesse, ut ex L. VI. Qui tibi, cod. Lib. 4. tit. 39. de hereditate, vel actione vendita, art. 2081.

Q. An secundus emptor, qui mala fide processit, tenetur in conscientia ad damna causata primo emptori?

R. Aff., quando ipse induxit venditorem ad vendendum ita, ut sit causa activa damni. Imo etiam in conscientia tenetur eam rem sibi venditam primo emptori restituere, quia illam scienter emendo violavit jus dominii ejusdem rei, quod acquisivit primus emptor.

Q. Quotuplici modo potest quis vendere?

R. Duplici modo, scilicet in genere, et in specie. In genere, ut vendo tibi centum oves de grege meo, quae dicitur venditio determinata in genere, indeterminata in specie. In specie, quando individuantur res, ut vendo tibi has centum oves, quae dicitur venditio determinata in specie. Quae venditio in specie potest esse vel quoad corpus, vel quoad mensuram; dicitur quoad mensuram, quando pro unaquaque mensura pretium assignatur, ut *vendo tibi hoc horreum* frumenti decem pro singulis mensuris. Dicitur quoad corpus, quando venditur aliquid totum unico pretio, ut vendo tibi hoc dolium vini 50. argenteis.

Q. Si res vendita pereat casu fortuito, cuinam perit?

R. Dist. Si res fuerit vendita in genere perit

venditori ex L. quod saepe XXXV. Aug. Lib. 8. tit. 1. de contrahenda emptione, quia genus nunquam perit. Si res fuerit vendita in specie, subdistin: vel fuit vendita quoad corpus, vel quoad mensuram. Si quoad corpus, perit emptori, sive res fuit tradita, et pretium solutum, vel res non tradita, et pretium non solutum, quia venditio solo consensu contrahentium quum perficiatur, periculum rei venditae statim pertinet ad emptorem, modo venditor non fuerit in mora. Art. 1092. et 1431. Si vero res in specie fuit vendita quoad mensuram, perit venditori. Art. 1430., quia res sic vendita emtio non est perfecta, ac proinde periculum pertinet ad venditorem.

Q. Si res vendita pereat, cuinam perit?

R. Si res vendita ante traditionem pereat, perit emptori, quando venditor non se obligavit de casu fortuito, et non fuit in mora; perit vero venditori; quando iste obligavit se de casu fortuito, vel fuit in mora, modo quando fuit in mora res similiter non periisset penès emptorem, quod venditor probare tenetur. Art. 1092., et 1256.

Q. Si res vendita sub conditione pereat ante conditionis adimpletionem, cuinam perit?

R. Venditori, quia contractus sic celebratus non est perfectus, nisi post conditionis adimpletionem. ex Leg. VIII. venditio.

Q. Ad quem spectant fructus rei venditae?

R. Ad emptorem a die emptionis; art. 1460.; verum emptor si pretium non solverit, te-

netur de interessurio usquedum non solvat. Art. 1498.

Q. Quotuplici modo contractus emptionis dissolvi potest?

R. Multiplici modo, et 1. per pactum adjectionis in diem, vel legis commissoriae. 2. per pactum retrovenditionis 3. per mutuum consensum, et 4. per conditionem non adimpletam.

Q. Quando venditio dicitur facta per pactum adjectionis in diem, vel legis Commissoriae?

R. Dicitur venditio facta per pactum adjectionis in diem, quando quis hoc modo vendit. Vendo tibi hanc domum hac lege, ut si intra annum meliorem conditionem quis obtulerit, domus sit inempta; dicitur venditio facta per pactum legis commissoriae, quando quis hoc modo vendit. Vendo tibi hanc domum, ut intra annum pretium solvas, alias domus erit inempta.

Q. Quotuplici modo potest fieri venditio per pactum adjectionis in diem, vel legis commissoriae?

R. Dupliciter, scilicet verbis directis, vel obliquis. Dicitur facta verbis directis, quando a principio venditio est nulla. Dicitur facta verbis obliquis, quando a principio est valida, licet rescindenda.

Q. Ad quem spectant fructus istius contractus, quando dissolvitur?

R. Dist. Si fuit celebratus verbis directis, fructus spectant ad venditorem, quia contractus a principio fuit nullus. Si verbis obli-

quis, usque ad dissolutionem spectant ad emptorem, quia a principio est validus, licet dissolvatur; ut ex L. V. Iterum quod dictum est Aug. L. 18. de in die adjectione, et ex L. IV. si factus loco cit. de lege commissoria. Verum ex jure novissimo pactum legis commissoriae in venditione immobilis locum non habet, nisi emptor a venditore actu judiciali in mora constituatur. Secus vero in rebus mobilibus. Art. 1502., et 1503.

Q. Ad quem spectant fructus rei venditae cum pacto retrovenditionis, vel redemptionis ante contractus dissolutionem?

R. Ante responsionem plura sciri debent. I. Venditio cum pacto retrovenditionis, et emptio cum pacto redimendi fieri potest in favorem venditoris, scilicet quando onus imponitur venditori, et favorem utriusque, scilicet quando utrique libertas relinquitur contractum rescindendi. II. Pactum redemptionis potest fieri tantum in favorem venditoris art. 1505. III. Hic contractus est licitus habitis conditionibus; ut ex Leg. 2. Si fundum Cod. Lib. 4. tit. 54. de pactis inter emptorem etc.: et ex Levitico cap 25. IV. Conditiones sunt 1. ut non fiat ad palliandam usuram, ut si fieret animo lucurandi, non vero emendi; 2. ut justum sit pretium, habita ratione gravaminis; 3. ut res non redimatur majori pretio, quo prius vendita fuit, nisi melior ab emptore effe-

cta sit 4. ut emptor vere fiat Dominus rei emptae. His praemissis.

Respondetur fructus spectare ad emptorem, quia ipse a die celebrationis contractus usque ad dissolutionem est vere dominus. Quod idem dicendum de contractu, qui mutuo consensu dissolvitur.

Q. Redemptio intra quot annos fieri potest?

R. Necessario fieri debet intra quinquennium; et si fiet ultra, reduci debet ad quinquennium; quo exacto, quamvis aliter inter contrahentes statutum fuerit, venditio absoluta est, et irrevocabilis. Art. 1506.

Q. Ad quem spectant expensae in casu retrovenditionis?

R. Redimens tenetur ad expensas contractus, et ad meliorationes, ita ut non potest iterum possessionem acquirere ante eorum solutionem. Art. 1519.

Q. Quaenam res vendi non possunt?

R. 1. Haereditas personae viventis, etiamsi accedat ejus consensus. 2. fructus pendentes, si conveniatur de pondere et mensura cum determinatione pretii ante tempus messis; possunt tamen fructus incerti certo pretio quoad corpus vendi ante dictum tempus Art. 1446.

Q. An contractus Mohatra sit licitus?

R. Ante responsionem sciendum, quod contractus hic ita celebratur, scilicet Petrus indigens pecunia pergit ad mercatorem causa eam petendi, et mercator pro pecunia offert merces, ut eas emat pecunia credita

pretio supremo, cum pacto sibi ipsi retrovendendi pecunia numerata, pretio infimo. Hoc posito. Contractus hic est illicitus, cum non adsit animus retrovendendi, sed tantum lucrandi, quod patet ex prop. XI. ab Innoc. XI. damnata.

Q. An secluso tali pacto idem venditor possit merces a se supremo pretio venditas infimo pretio vendere?

R. Litigium inter Doctores.

Q. Ad quem spectant fructus rei venditae sub conditione, usque dum conditio non impleatur?

R. Praetermittendum, conditionem in casu dupliciter posse considerari, scilicet ut causalem, et ut potestativam. 1. est illa, quae dependet ab eventu fortuito. 2. est illa, quae a propria voluntate dependet. Quo posito, dist: Vel venditio fuit facta sub conditione casuali, et conditione verificata, fructus spectant ad emptorem, quia ea verificata contractus retrotrahitur ad diem, quo fuit celebratus, ac si purus, et absolutus fuisset. Art. 1132. Vel venditio fuit facta sub conditione potestativa, et fructus spectant ad venditorem, quia cum ista ponatur ad sollicitandam conditionis adimpletionem privatur fructibusque dum adimpleat. Salmat.

Q. An venditio rei alienae valeat?

R. Neg. ut ex art. 1441. Verum quamvis venditor acquirat dominium pecuniae, quod transfert ejus dominus, qui est emptor; et e contra emptor non acquirat dominium

rei, cum venditor non sit dominus illius, attamen tenetur venditor de evictione, ut art. 1444., et L. exemp. Aug Lib. 19. tit. 1. de actionibus empti, et venditi. Sic e contra, qui pecunia furtiva emit rem a domino.

Q. Quid evictio?

R. Est actio emptoris contra venditorem, vel e contra, ad servandum se indemnem. Aut est rei emptae, vel justa de causa accepta per sententiam judicis ablatio vel juridica amissio L. XVI. evicta. August. L. 21. tit. 2. de evictionibus.

Q. In quibus contractibus habet locum evictio?

R. In omnibus contractibus onerosis, ut ex L. VIII. Libera Cod. Lib. 7. tit. 14. de Sententiis, et interlocutionibus, quia non par est, ut quis damnum patiatur ex re, quam justo pretio accepit.

Q. Tenetur ne venditor praestare evictionem, quamvis non promiserit?

R. Aff. et non solum tenetur ad evictionem, sed etiam ad lucrum cessans, et ad damnum emergens; ut ex art. 1444.

Q. An evictio habeat locum in contractibus gratuitis?

R. Regulariter loquendo non habet locum, quia par non est, ut damnum patiatur quis ob traditionem rei suae ex pura liberalitate alteri factam, ut ex L. XVIII. Aristo. Aug. lib. 39. tit. 5. de donationibus.

Dixi regulariter, quia si habetur in gratuito contractu pactum de evictione, locum

habet, quia liberum est contrahentium apponere pactum, quo se subjiciant periculo damni, licet ratione contractus non sint ad illam obligati. Sicuti etiam quando habetur culpa, uti si donatarius damnum patiatur, quia donator tradidit sibi rem furtivam, sciens esse talem, tenetur in tali casu ad damna, quae passus est donatarius, resarcire, cum censeatur causa injusta damni. Bonac., aliiq.

Q. An dentur casus, in quibus venditor non tenetur de evictione?

R. Aff. 1. quando emptor sciens actu venditionis rem periculo esse obnoxiam, et eam emat cum renunciatione evictionis, aut similiter, emat se subjiciendo illius periculo, ut ex art. 1475., et ex L. XXV. Si fur eod. Cod., quia volenti, et consentienti nulla fit injuria. 2. quando emptor non denunciat venditori litem motam esse, ut eam defenderet; quapropter causam irrevocabiter perdidit, quando venditor sufficientes rationes habebat ad obtinendam rejectionem postulationis. Art. 1485.

De Mercium pretio.

Q. Quid et quotuplex pretium?

R. Est aequa, et justa mensura pecuniae pro merce. Quod duplex est, scilicet legitimum seu legale, et vulgare seu naturale: I. est, quod a lege, vel a Principe, vel ab alio legitimo superiore est taxandum, quod quidem consistit in indivisibili. II. est taxandum

a communi hominum existimatione, et dividitur in supremum, infimum, et medium. Supremum, dicitur illud, supra quod venditor non potest juste vendere. Infimum est illud, infra quod emptor non potest juste emere. Medium dicitur illud, quod est medium inter supremum, et infimum.

Q. Potestne augeri, et minui pretium vulgare.

R. Aff. nam quadruplici ex capite potest augeri, scilicet ex multitudine emptorum, ex abundantia pecuniae, ex caritate mercis, et venditorum. Similiter ex quadruplici capite potest minui, scilicet ex carentia emptorum, et pecuniae, ex abundantia mercis, et venditorum.

Q. Quo pretio potest quis emere, et quo pretio potest quis vendere, quando pretium non est taxatum?

R. Emptor usque ad pretium infimum potest emere, et venditor usque ad supremum potest vendere, aliter ambo peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem ob justitiae commutativae laesionem.

Q. An dantur alii tituli, quibus res possit carius vendi?

R. Aff. est lucrum cessans, damnum emergens, et molestia venditori obventura ex rei traditione: Ita Laym; aliique.

Q. Num ille, qui res minutim vendit, possit carius vendere?

R. Aff. quia tum majores expensas, et labores expendere debet ad eas conservandas.

Q An possit diminui pretium, eo quia quis multa emit simul ab eodem?

R. Aff. quia tunc venditor liberatur multis curis, et expeditus est ad alia lucra nova comparanda. Ita Bonac., aliique.

Q. An res, quae sub hasta venditur, majori pretio, quo valet, vendi possit?

R. Aff., quia res sic vendenda tanti valet, quanti sine fraude vendi potest, nec ab hoc contractu rescindi potest, art. 1330.

Q. An mercator possit aliquid plus exigere ratione officii mercaturae, quam potest exigi ab alio, qui mercaturam non exercet?

R. Aff., quia officium mercatoris est pretio aestimabile.

Q. An sit obligatio servandi pretium taxatum a Principe, quando res notabiliter est variata quoad valorem?

R. Negita ut si Princeps constituerit pretium tritici tempore abundantiae, nec illud mutaverit tempore inopiae, venditor non tenetur illud servare, quia non est credibile, Principem, posita notabili mutatione, velle in eodem robore, ac vigore leges suas perseverari.

Q. An ratione necessitatis venditoris possit diminui pretium?

R. Dist. vel est communis necessitas rem vendendi, et potest ob abundantiam mercium, inopiam pecuniae, et emptorum. Vel est particularis, et non potest, quia alias esset semper vilius vendenda res a pauperibus,

qui uti plurimum ex necessitate vendunt. Ita Bonac., Salm., aliique.

Q. An possit quis emere res viliori pretio, eo quia non sunt sibi utiles, scilicet quia eis non indiget?

R, Aff., quia res ultroneo vilescunt.

Q. An possit quis vendere majori pretio, quando res est emptori utilis?

R. Neg. quia nemo suam utilitatem emere cogitur. Ita D. Th. q. 73. art. 1. 2. 2.

Q. An possit mercator merces currenti pretio vendere, quando scit brevi tempore mercium pretium diminuturum?

R. Aff. modo id fiat absque fraude, quia quis potest emere, et vendere secundum valorem, quam res habet vel ex communi hominum existimatione, vel ex lege a Principe lata de praesenti. Ita egit Joseph ut ex Gen. XI. 1. et D. Th. 2. 2. cit. quaest.

Q. An venditor, qui fuit deceptus quoad pretium ab emptore, habeat actionem contra emptorem decipientem?

R. Ex jure novissimo distinguo: Si venditor rerum immobilium fuerit deceptus ultra medietatem justi pretii, habet actionem ad rescindendam venditionem intra biennium a die venditionis, art. 1530. Licet autem emptori vel rem restituere cum suis fructibus a die petitae rescissionis, pretium solutum repetendo, vel eam retinere, reliquum pretium solvendo, et damna venditori resarciendo art. 1527., et seq. Si vero sit venditor mobilium, vel fuerit deceptus infra me-

dietatem, actionem non habet in foro externo, sed tantum in foro conscientiae ob litium multitudinem, Ita ex cap. 3. cum delicti de empt., et vendit.

In quo est animadvertendum, quod si emptor sit deceptus a venditore quoad pretium, nulla actio in foro externo ei datur, ut art. 1529. Habet vero tantum in foro conscientiae, ita ut decipiens in conscientia teneatur vel rescindere contractum, vel reddere illum ad aequalitatem.

Q. An possit quis rem suam majori pretio vendere ob sui affectum ad illam?

R. Aff., quia privatio illius affectus est pretio aestimabilis. Ita Less., Bon., aliiq.

Q. An sit licitum emere minoris chirographa, et credita acerba, quae scilicet maturescent, post annum?

R. Dist. vel sunt litigiosa, et dubia, licet, quia res cum tali periculo exigenda, semper minoris valet. Vel sunt certa, et facilia, non licet, modo non adsit aliquod justum titulum, quia exigeretur aliquid ultra sortem ratione impliciti mutui. Ita D. Th.

Q. An idem debitor possit minoris redimere suum debitum in posterum solvendum, secluso damno, vel alio titulo?

R. Neg., quia semper videtur exigere aliquid ultra sortem ratione anticipatae solutionis, quod est usurarium. Ita Bonac., aliique.

Q. An possint minori pretio emi debita litigiosa ab eo, qui est causa litis?

R. Neg. quia non sunt litigiosa respectu sui,

et quia reportaret commodum ex suo delicto. Ita Molina, aliique.

De Mercium vitio.

Q. Quid, et quotuplex vitium?
R. Vitium est quicumque defectus, qui tollit, vel minuit consensum contrahentium. Quod est quoad substantiam, vel quoad qualitatem; vel occultum, vel manifestum, vel damnosum, vel non damnosum.
Q. An venditor teneatur manifestare emptori vitium mercis?
R. Si vitium sit manifestum, non tenetur, ut ex L. XLIII. ea, quae, Aug. lib. 28, tit. 1. de contrahenda obligatione, modo emptor ob imperitiam, aut ob aliam ignorantiam invincibilem advertere non potest, quia tunc esset occultum. Ita Palaus, aliique. Si vero vitium sit occultum, subdist. vel venditor est interrogatus, tenetur manifestare, alias habetur dolus dans causam contractui. Ita Doct. com. Vel non est interrogatus, et etiam tenetur manifestare, quando est emptori damnosum, quia secus emptor decipitur in re gravi, qui habet actionem in foro externo contra venditorem ad rescissionem contractus, et ad omnia damna, modo venditio non sit judicialis, et non est mobilium venditorum in nundinis, art. 1487., et seq.

Q. Quid, et quotupliciter contigit Monopolium?

R. Monopolium est conspiratio plurium, vel unius in unum. Quod pluribus modis contigit I. quando mercatores inter se conveniunt de non vendenda merce nisi pretio ab ipsis statuto; aut emptores de non emenda merce, nisi pretio ab ipsis statuto. II. quando unus, vel plures emunt omnes merces, ut ipsi soli eas vendant eo pretio, quod volunt. III. quando impediunt, ne aliae merces advehantur, ut majori pretio suas vendant cum detrimento Civium, et Reipublicae IV. denique quando quis a Principe obtinet privilegium, ut ipse solus certum genus mercium vendere valeat.

Q. An Monopolium sit licitum?

R. I., et II. monopolium est illicitum, quia adest detrimentum Reipublicae, et si conveniant vendere supra pretium rigorosum, peccant mortaliter contra justitiam commutativam, cum excedant pretium justum III. est etiam illicitum, si impediant vi, fraude, quia sunt causa injusta damni Civium, et Reipublicae. Secus vero si impediant precibus, vel suasionibus, quia preces non auferunt voluntarium. Imo Salmaticenses tenent hoc non esse contra justitiam, nec contra caritatem, si fiat ex justa causa, quia unusquisque tenetur consulere bono suo IV. monopolium est licitum, modo vendatur juxta pretium taxatum a Principe in rebus ne-

cessariis, et a viris prudentibus; et modo justa de causa impetratum sit privilegium, quia hoc potest fieri, ut expediat Reipublicae, et nulli fiat injuria.

Q. Quid si mercatores conveniant non vendere nisi pretio supremo, vel medio, aut emptores non emere, nisi pretio infimo, vel medio?

R. Litigant Doct. an sit contra justitiam, an contra caritatem. Certum autem est, quod semper habetur laesio juris emptoris, vel venditoris.

De Negotiatione.

Q. Quid, et quotuplex Negot'atio?

R. Negotiatio dicitur, quando merces eo animo emantur, ut postea carius vendantur causa lucri capiendi. Quae duplex est, propria, et impropria. 1. est illa, quae quis rem aliam emit eo animo, ut mutatam, et meliorem effectam vendendo lucretur.

Q. Est ne licita Negotiatio?

R. Impropria est omnibus, nemine excepto, licita. Propria vero per se est licita saecularibus tantum, non vero Clericis et Religiosis, quibus interdicitur, ut cap. VII. ne Clerici, vel Monachi. Can.II. consequens est docti parte 1. dist. 88.

Dixi: propria per se est licita, saecularibus, quia per accidens potest esse mala, si afferat periculum salutis aeternae ob cupiditatem, et malitiam humanam, vel ob men-

dacia, et fraudes quae solent adhiberi occasione negotiationis.

Q. Quinam veniunt nomine Clerici, et Religiosi?

R. Nomine Clerici veniunt omnes in sacris constituti, et qui sunt in minoribus, sed beneficiati. Nomine Religiosi omnes professi, etiam nullo ordine insigniti,

Q. Quaenam poenae contra Clericos exercentes propriam negotiationem?

R. Excommunicatio, et suspensio ferendae sententiae, quas, et alias innovavit Trid. Sess. XXII. cap. 1. de Reform. Imo perseverantes in negotiatione post trinam monitionem incidunt in amissionem privilegii Clericalis, et immunitatis a Tributo, ut ex cap. ultimo ex literis de vita, et honeste Clericorum.

Q. An Clerici negotiationem propriam exercentes teneantur ad restitutionem lucri ex ea percepti?

R. Neg., quia licet graviter peccant contra dictas prohibitiones, cum sint in re gravissima, attamen non peccant contra justitiam, nec inhabiles fiunt ad dominium lucri faciendum.

Q. An dentur casus, in quibus Clerici non peccant ob exercitium talis negotiationis?

R. Aff. et I. quando bis, vel ter exercent, secluso scandalo, et modo negotiatio non sit nimis turpis, vel in magna quantitate, quia jura loquuntur de Clerico exercente negotiationem, vel ei insistente, vel negotiatione victum comparante, quod in casu non habetur. II. est, quando exercent ob urgen-

tem necessitatem familiae, pupilli, Viduae, vel alterius personae miserabilis, quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo.

Q. An Clerici possint aliena praedia conducere, aut similes res fructiferas, ut fructus vendant, et sic quaestum faciant?

R. Neg., quia hoc fuit specialiter prohibitum in Concil. Carthaginiensi I. et IV. Ita Less.

Q. An sit licitum emere jumenta, et ea pretio locare?

R. Neg., quia videtur esse quaedam negotiatio. Ita Laym., aliique.

Plura sunt advertenda, quae continentur in epistola Benedicti XIV. contra Clericos negotiantes edita Romae 25. Feb. 1741 quae incipit, *Apostolica*. Et I. haec epistola confirmat constitutiones omnes Apostolicas, omnesque poenas in eis contentas contra Clericos illicite negotiantes II. Dictas poenas, et constitutiones expresse extendit etiam ad Clericos, qui non suo, sed alieno laici nomine illicitam negotiationem quomodolibet exercent. III. Quum bona illicita acquisita per negotiationem alieno laici nomine exercitam, inevitabili supplicii poenae subjecta declarat ad formam constitutionis Pii V., quae incipit, *Decens esse*. IV. Negotia Clericis illicita si a laicis sint incohata, si statim nequeant dimitti sine temporali Clerici detrimento, permittitur negotiationis continuatio, sed ad tempus dumtaxat, et per interpositam laici personam, ac de licentia. S. Cong. Cardinalium Trid. interpretum. V. In hoc casu si

Clericus vel sine dicta licentia, vel cum hac quidem, sed ultra tempus praescriptum, vel inter hoc tempus quidem, sed per seipsum, et non per interpositam laici personam haec negotia administraverit, subjicitur omnibus praefatis, etiam spolii poenis. Ultimo dicta spolii poena quoad bona per illicitam negotiationem acquisita extenditur etiam ad eas, quae a Pio IV. Constit. *Romanus Pontifex*, et a Paulo V. Constitut. *In eminenti* eximuntur a tali spolio ad effectum testandi, vel transmittendi hanc facultatem eis, qui sunt propinquiores; dictas ideo constitutiones, aliasque omnes in contrarium abrogat quoad hoc, et abolet.

De Societate.

Q. Quid societas? et quotupliciter considerari potest?

R. Est duorum, vel plurium conventio contribuentium aliquid ad commune lucrum, et damnum. Quae dupliciter considerari potest vel inter duos, quorum unus ponit industriam, et alter sortem, vel ambo ponunt industriam, et sortem.

Q. An contractus societatis sit licitus?

R. Aff., habitis conditionibus, ut ex jure can. Cap. 7. *per vestras literas* de donationibus inter virum, et uxorem; tum ex jure civili. L. III. tit. X. Cap. 1. art. 1704.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad contractum societatis?

R. Plures; et 1. ut sit de re licita, et honesta, alias non obligat, quamvis lucra dividi debeant, quantum licite fieri potest, ut ex L. XVII. *nec praetermittendum* dig. loc. cit., et art. 1705. 2. ut res, quae usu non consumuntur, maneant periculo illius, qui contulit; quae vero servando deteriores fiunt, vel vendendae collatae sunt, vel aestimatae sunt peracto inventario, totius societatis periculo maneut. Art. 1723. 3. ut servatur aequitas in omnibus, ita ut damna, et lucra sint proportionaliter communia, ita ut quivis plus posuit pecuniae, vel operis, plus habeat de lucro, ut ex L. XXIX. *Si non fuerint* loc. cit., et art. 1725. 4. Ut pecunia tradatur negotiatori, alias esset contractus mutui, non societatis.

Q. Quomodo perficitur contractus societatis?

R. Mutuo consensu sed si excedat aureos 50, non potest fieri, nisi scriptura; exclusa omnino testium probatione, ut ex novissimo jure art. 1706.

Q. Num apponi possit pactum de casu fortuito in contractu societatis?

R. Neg., quia secus est cuntractus ad caput salvum, hinc usurarius: nam contractus ad Caput salvum est ille, in quo quis dat sortem alicui cum pacto dividendi lucrum sorte, seu capite semper salvo. art. 1727.

Q. An detur casus, in quo sors perit socio apponenti industriam?

R. Aff., et 1. quando sua culpa perit, quia cum iste teneatur de culpa levi, non adhi-

bendo diligentiam debitam, est causa injusta damni apponentis., art. 1722.

Q. Ad quem spectat damnum uni ex sociis secutum?

R. Dist. vel hoc damnum evenit ex societate tamquam ex causa proxima, ut si socius causa defendendi merces vulneratus sit, damnum est commune. Vel damnum evenit ex societate tamquam ex causa remota, et damnum est illius, qui recepit, quia damnum non est ex societate. Ita Lessius, aliique.

Q. An peccet, et teneatur ad restitutionem, qui cum uno societatem iniit, ineundo alias societates?

R. Aff., quando ineundo alias societates affert damnum alteri societati, quia ratione contractus tenetur adimplere id, ad quod se obligavit; secus vero non.

Q. An ille, qui facit contra pacta societatis, peccat, et teneatur ad restitutionem?

R. Aff., ita ut si exerceat negotiationem ex alio genere mercium, vel alio loco, vel tempore, tenetur semper ad damna, quae ob id socius patitur, quia agit contra justitiam non servendo pacta statuta. Verum lucrum ex hac altera negotiatione est suum, quia sic negotiatur proprio nomine. Bonac.

Q. Quomodo facienda est divisio lucri in societate?

R. Quando contractus nihil de lucri divisione statuerit, divisio facienda est juxta ratam rerum collatarum. Qui vero operam adhibet, recipit lucri partem juxta proportionem so-

cii, qui minorem rem confert; art. 1725. Si vero conveniant de arbitrio tertiae personae, nequeunt socii ei apponi, nisi evidenter aequitas offendatur: quae actio intra tres menses promovenda est. art. 1726.

Q. Quotuplici modo finitur contractus societatis?

R. Multiplici, et 1. per lapsum temporis in contractu statuti. 2. per renunciationem sive expressam, sive tacitam, sive per mutuum consensum, quia res per quae nascitur, per eadem dissolvitur. 3. per mortem alicujus socii, dummodo aliter non fuerit conventum. 4. per extinctionem rei, aut complementum negotiationis; et 5. per damnationem alicujus socii ad poenam perpetuam; art. 1737.

Q. An contractus trium contractuum sit licitus?

R. Cum hic contractus sit ille, in quo habetur contractus societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri sperati. e. g. Petrus iniit societatem cum Paulo negotiatore, apud quem 100. aureos deponit, ut ipso ponente pecuniam, et Paulo industriam uterque lucretur; ex qua quia speratur triginta lucrari, iniit alium contractum assecurationis sortis, et pro essecuratione dat Paulo decem; et ut lucrum sit sibi certum, iniit cum eodem Paulo alium contractum, quo vendit illi viginta incerta pro duodecim certis, et sic salvo Capitali, et nulli periculo exposito ob triplicem contractum fit,

quod certe recipiat duodecim supra sortem. Quo praemisso.

Respondetur. Adest litigium inter doctores; Verum qui affirmant, inter alia requirunt, ut assecuratio sortis fiat ad istantiam apponentis industriam.

De contractu census.

Q. Quid, et quotuplex Census?

R. Census est jus percipiendi annuam pensionem ex re alterius utili, et fructifera. Qui dividitur in reservativum, et consignativum. Reservativus habetur, cum quis fundum pleno dominii jure in alterum transferat, servata sibi annua pensione ex eodem fundo. Consignativus habetur, cum quis retentis suis bonis, eorumque usu, consignat alteri certam pensionem singulis annis, aut mensibus solvendam.

Census consignativus dividitur in realem, perpetuum, temporalem, et vitalitium. Realis est ille, qui in rem constituitur, qua pereunte census perit, et si transeat ad alium possessorem res, transit cum illo onere. Perpertuus est ille, in quo non habetur designatio temporis. Temporalis est, in quo temporis designatio habetur. Vitalitius est ille, qui fit ad vitam, ita ut tamdiu duret, quamdiu censualista vivit.

Q. An census consignativus perpetuus possit redimi?

R. Aff., quia est, essentialiter redimibilis. Ve-

rum potest conveniri non plus decennio esse irredemibilem, vel non posse redimi nisi post notitiam creditori dandam intra determinatum tempus, quod debitor redimere velit. art. 1783.

Q. Quinam dicitor censualista, et quinam censuarius.

R. Consualista est qui pecunia emit jus percipiendi annuam pensionem ex re alterius. Censuarius vero est, qui accepta certa pecuniae quantitate se obligat ad solvendam annuatim certam pensionem ex re propria.

Q. Census estne licitus?

R. Aff. habitis vero condictionibus pro censu consignativo; quae sunt. 1. ut adsit vera voluntas emendi, et vendendi. 2., ut constituatur supra rem certam, atque supra omnia bona, addita etiam obligatione mobilium, et personae. 3., ut possit eodem pretio redimi 4., ut apponatur pactum de retrovendendo quandocumque ad libitum venditoris, non emptoris. 5., ut pensio annua non excedat decem pro centenario. 6. denique, ut pro securitate census apponi possint poenae, et pacta ad libitum contrahentium; ut ex Bulla Nicolai V. *Sollicitudo Pastoralis*, edita 1488. ad instantiam Alphonsi. I. Regis Utriusque Siciliae, quae servanda est juxta Marinis, Verde, aliosque in hoc Regno Neapolitano. Quae fuit postea approbata a Gregorio IV. 1541. pro Regno Siciliae, Ultra Farum, non obstante Bulla

ii V. Cum onus Apostolicae servitutis edita 1564.

Q. Quaenam conditiones requiruntur pro censu consignativo ex Bulla Pii V. jam citata, quae juxta aliquos Doctores ab Ecclesiasticis est servanda in hoc Regno Neapolitano.

R. Plures, et 1. ut census constituatur super re immobili, et fructifera, et certis finibus designata. 2. ut census non constituatur nisi numerata pecunia de praesenti coram testibus, et Notario. 3. ut ne solutio redditium anticipata fiat, aut in pactum reducatur. 4. ut censuarius non teneatur pensionem solvere, si casu fortuito fructus non percipiantur ex re censita. 5. ut censuario liceat vendere rem censitam, tametsi teneatur prius offerre eam censualistae, ut si velit, emat intra mensem. 6. ut non fiat in pactum, quo censuarius ob moram solutionis teneatur ad poenam, ita ut ex pensionibus non solutis, non constituatur novus census. 7. ut censuarius non sustineat onera, quae ex natura census ad eum non spectant. 8. ut re pereunte, pereat cum proportione census. 9. ut censuarius possit redimere eodem pretio, quod accepit, quando valuerit; tametsi teneatur monere censualistam bimestre ante. 10. ut post denunciationem censualista possit censuarium cogere intra annum ad redimendum. 12. ut pretium census semel constitutum non possit augeri, aut minui ob temporum, et contrahentium qualitatem, aut ob aliud acci-

dens. Denique ut censuarius non cogatur redimere, si nolit.

Q. An datur casus, in quibus censualista possit censuarium cogere ad redimendum censum consignativum?

R. Aff., et 1. si censuarius non adimpleat suam obligationem duobus annis. 2. si negligat dare censualistae cautiones in contractu promissas. 3. si culpa sua imminuat cautiones censualistae datas contractu. 4. demum in casu decocti argenti censuarii, art. 1784, et 1785.

Q. An possit apponi pactum, quo censuarius existens in mora solvere teneatur de interesse?

R. Spectato jure naturae tenetur ad damna, quae patitur censualista ob sui moram. Spectata Bulla Pii V. superius citata, non potest, quia prohibitum.

Q. An possit apponi in censu pactum de casu fortuito, seu census vitalitius estne licitus?

R. Aff., quia et census fundatur in re, et concurrente pretio tam censualista, quam censuarius subit periculum aequale lucrandi, et perdendi, art. 1844.

Q. Quid, et quotuplex Cambium?

R. Cambium est commutatio pecuniae pro alia, quod differt a mutuo, quia mutuum unica traditione perficitur; cambium vero, cum sit species commutationis, non censetur omnino perfectum, nisi post traditionem utriusque speciei.

Cambium dividitur in siccum, et reale. I. est illud, quod dicitur simulatum, cum sit mutuum specioso nomine cambii velatum, quia est commutatio pecuniae praesentis pro absente, tempore, non loco, et dicitur siccum, quia caret justo titulo lucrandi II. est legitima commutatio pecuniae, ex qua juste aliquid lucri accipi potest. Quod cambium reale subdividitur in locale, seu per literas, et in minutim, seu manuale. I. est illud, in quo pecunia praesens commutatur cum pecunia distante in alio loco, et dicitur per literas quia plerumque dantur literae, quibus mandatur correspondenti, ut in alio loco pecuniam solvat. II. est illud, in quo pecunia unius formae, vel materiae permutatur cum alia alterius formae, vel materiae, ut patria cum extera, argentea cum aurea.

Q. Quinam dicitur Campsor, quinam Campsarius?

R. Campsor est ille, qui in gratiam alterius cambit. Campsarius, est ille, in cujus gratiam fit cambium.

Q. An cambium sit licitum?

R. Cambium siccum est illicitum, et usurarium, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quaestus fiat, quia Pius V. damnavit omnia cambia ficta, et simultata in Bulla, quae incipit *in eam* expedita 1571. Cambium vero reale sive locale, sive minutum, est licitum, quando absque fraude, et dolo fit, quia adsunt justi tituli lucrandi. Ita omnes doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 74. art. 4.

Q. Quinam sunt tituli, quibus in cambio minuto lucrari potest?

R. Plures, 1. conductio officinae. 2. officium cambiendi. 3. lucrum cessans. et 4. labor numerandi.

Q. Quinam sunt tituli, quibus in cambio locali lucrari potest?

R. Plures; et 1. Translatio pecuniae. 2. ejusdem assecuratio 3. major aestimatio pecuniae in uno loco, ubi datur, quam in alio, ubi redditur. et 4. pecunia absens, et loco distans, quia multum est subjecta ex natura rei periculis, et expensis.

Q. An sit licitum in foro conscientiae campsori exigere a campsario pignus, aut aliam securitatem?

R. Aff., quia sicut in aliis contractibus hoc est licitum, ita in isto; nam non est aequum, ut campsarius sit in tuto, et campsor in periculo remaneat. Ita Salmat.

Q. An illi, qui offieium cambiendi non habet, liceat lucrari in cambio minuto?

R. Aff. juxta aliquos doctores, quia nec jure naturae, nec jure positivo hoc est prohibitum.

De Emphyteusi.

Q. Quid emphyteusis?

R. Est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem alteri quoad dominium utile sub certa pensione reali sibi solvenda in recognitionem dominii directi.

Q. Differtne emphyteusis a locatione?

R. Aff., quia in emphyteusi traditur dominium utile, in locatione usus: illa costituitur in immobili, et ad longum tempus, scilicet non minus decennio, quando est temporalis; haec constituitur in mobili, et ad breve tempus?

Q. Differtne emphyteusis a censu reservativo?

R. Aff., quia in illa transfertur dominium utile tantum, in censu reservativo plenum dominium. In illa si pensio tempore praefixo non solvatur, res cadit in commissum; in hoc vero non.

Q. Quotuplex est emphyteusis?

R. Dividitur I. in Ecclesiasticam, et laicalem. 1. est illa, cujus dominium directum spectat ad ecclesiam, ideoque praeter regulas juris civilis subjicitur regulis canonicis. 2. est illa, cujus dominium directum spectat ad laicum. II. in perpetuam, et temporaneam. 1. est illa, in qua non definitur tempus. 2. est illa, quae fit definito tempore, quod minus decennio esse non potest, art. 1680. et 1682.

Q. Quid requiritur ad emphyteusim.

R. 1. Scriptura sive publica, sive privata, art. 1679. 2. Melioratio, scilicet quod emphyteuta debeat fundum sibi commissum meliorare, et cavere, ne deterior efficiatur, art. 1678. et 3. in recognitionem dominii directi, et compensationem utilis solutio annuae pensionis, art. cit. 1678.

Q. Quinam tenetur facere expensas ad rem emphyteuticam requisitas?

R. Dist. vel expensae requiruntur ad rei meliorationem, aut fructuum collectionem, tenetur emphyteuta. Vel ad restaurandam rem, tenetur dominus directus.

Q. An emphyteuta possit repetere expensas pro rei melioratione factas in dimissione rei emphyteuticae?

R. Aff.; sed hac lege, si sua culpa ab emphyteusi excidat, habet jus repetendi minus inter expensum, et melioratum. Si vero tempus in contractu definitum absolutum fuerit, dominus directus tenetur solvere emphyteutae meliorationes juxta fundi augmentum tempore restitutionis aextimandae. Potest tamen dominus directus hoc in casu pro pecunia numerata annuum redditum ratione quinque pro quolibet centenario assignare super eundem fundum cum hypotheca speciali, art. 1703.

Q. An emphyteuta teneatur ad pensionem re pereunte?

R. Dist. vel res perit in totum, non tenetur, quia res domino ex destructo subjecto de-

struitur etiam, quod in ipso erat. Vel perit in partem, et non tenetur, nisi reliquae partis redditus satis sint ad pensionem solvendam. Verum si pars, quae perit, sit magni momenti, potest emphyteuta domino directo fundum restituere, art. 1688.

Q. Quid dicendum, quando emphyteuta non solvat statuto tempore pensionem?

R. Si tribus continuis annis emphyteuta pensionem non solvat, res emphyteutica cadit in poenam commissi, scilicet dominus directus potest petere, ut emphyteuta expellatur a fundo, art. 1689.

Q. An emphyteuta possit vendere jus suum utile.

R. Neg., nisi prius moneat dominum directum ad dandum consensum; quia si vendat inconsulto domino, venditio est nulla, et res cadit in poenam commissi, art. 1691, et 1692. Excipe, si donet titulo gratuito, vel legat, vel locat infra decemnium, ut Lugo, aliique.

Q. An post monitionem statim possit emphyteuta vendere jus suum utile?

R. Neg., debet enim expectare duos menses quibus transactis, et ipso domino aut emere recusante, aut tacente, potest vendere, quia consensus habetur ut praestitus, art. 1695.

R. An dominus directus possit vendere dominium suum directum?

R. Neg., quia quod dictum est de emphyteuta quoad venditionem dominii utilis, dicen-

dum est de domino directo, art. 1698.

Q. An laudemium sit solvendum, quando emphyteuta vendit jus suum utile?

R. Aff., si expresse conventum sit, alias non. Quod nequit statui ultra quinquagesimam partem pretii art. 1697.

Q. Quinam sunt successores in emphyteusi tam laica, quam ecclesiastica?

R. Dist. vel est simpliciter haereditaria, idest concessa cum auctoritate transferendi eam ad quoscumque haeredes etiam extraneos, successores sunt ab emphyteuta statuti. Vel est mixta haereditaria, idest concessa pro filiis suis haeredibus; successores sunt filii, modo succedant in haereditate ascendentium. Vel est simpliciter ex pacto, et providentia, successores sunt filii, etsi non sint haeredes, quia non succedunt jure haereditatis, sed ex pacto, et providentia.

De Locatione, et Conductione.

Q. Quid et quotuplex locatio?

R. Locatio est contractus, quo quis rem, vel operam suam utendam, vel fruendam alteri concedit ad tempus certo pretio, sive mercede constituta. Et duplex est, locatio rei, et locatio operae. 1. quando res. 2. quando opera conceditur alteri.

Q. Quid, et quotuplex Conductio?

R. Est contractus, quo quis certa mercede ad tempus aliquam rem, vel operam ad a-

sum, vel fructum accipit; et etiam duplex est, scilicet rei, et operis.

Q. Quaenam res possunt locari?

R. Omnes, quae possunt vendi, nisi adsit aliqua specialis prohibitio, quia non plus requiritur ad locandum, quam ad vendendum.

Q. Quaenam locatio est jure positivo prohibita?

R. Jure Canonico 1. prohibetur locatio domus publico usurario alienigenae, ut ex cap. 1. usurarum, de usuris in 6.; et secundum Navarra prohibetur locatio domus meretrici saltem, ut alii dicunt, in ea urbis parte, ubi non permittitur habitare. 2. prohibetur Clericis conductio cujuscumque praedii causa negotiandi, ut ex cap. 1. pervenit decreti parte 2. causa 21. quaest. 3. 3. prohibetur pro omnibus Ecclesiasticis, sub clausura irritante, bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum Ecclesiae locatio ultra triennium, ut ex Extravaganti Ambitiose de rebus Ecclesiae non alienandis.

Q. Quaenam operae possunt locari?

R. Omnes, modo sint determinato tempore, et objecto, art. 1626.

Q. An locator possit conductorem ad sui libitum expellere, vel rem locatam alteri locare?

R. Neg., etiamsi declaret rem locatam esse sibi necessariam, nisi aliter conventum fuerit, art. 1607.

Q. An possit Conductor rem sibi locatam alteri locare?

R. Aff., modo aliter non sit conventum art. 1563., et modo non sit locatio, in quo colonus partiarius quotam fructuum domino solvit, art. 1509.

Q. Ad quem spectant expensae pro re locata factae?

R. Expensae locativae ad conductorem, aliae vero ad locatorem, art. 1600.

Q. An aliquid sit conductori remittendum ob anni sterilitatem?

R. Vel sterilitas est modica, scilicet est minus medietatis, nihil est remittendum, art. 1616. Vel est notabilis, scilicet totius, vel medietatis, est aliquid remittendum, art. 1615.

De Fidejussione.

Q. Quid Fidejussio?

R. Est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sui illius adimpletionem, seque in illius defectu obligans.

Q. Quinam possunt fidejubere?

R. Omnes, qui habent liberam bonorum administrationem. Hinc non possunt fidejubere minores, majores habentes patrem sine hujus consensu, major pars Capituli, mulier nupta sine viri, aut (viro minore) judicis auctoritate; art. 206. Excipe, si mulier nupta publicam mercaturam exercens in rebus ad ipsam negotiationem pertinentibus, in quibus viri auctoritate non indiget, fidejubeat, art. 209.

Q. An fidejussor teneatur solvere debita ante judicis sententiam?

R. Aff., quia cum principalis ante judicis sententiam solvere teneatur, sequitur etiam sic teneri fidejussorem, dum illius vices gerit. Ita Laym., Bonac., aliique.

Q. An Fidejussor possit exigere pecuniam pro fidejussione?

A. Aff., quia fidejussio est pretio aextimabilis. Verum si sciat nullum esse periculum, et molestiam, nihil potest exigere, quia tunc non est pretio aestimabilis. Ita Covarrius et alii contra Bonac., et alios.

Q. An dentur casus, in quibus fidejussor potest exigere a debitore, ut liberetur a fidejussione?

R. Aff., et 1. quando conventum fuerit, ut elapso certo tempore, vel cum id poterit, a fidejussione liberetur. 2. si debitor principalis bona sua dilapidare incipiat. 3. si fidejussor longo tempore in obligatione manserit, quod ex circumstantiis aestimandum erit. 4. si fidejussor ad solvendum damnatus sit, statim antequam solvit, agere potest contra principalem debitorem, ut ipsum liberet, et indemnem faciat, art. 1904.

De Assecuratione.

Q. Quid assecuratio?

R. Est contractus, quo quis ob pretium, vel gratis suscipit in se periculum rei alienae, obligando se ad illius compensationem, si perierit.

Q. Estne licitus hic contractus?

R. Aff., habitis conditionibus, quia est contractus sortis. Conditiones sunt plures, et 1. ut adsit aequalitas inter pretium datum assecuratori, et obligationem, quam in se suscipit. 2., ut qui petit assecuratorem non cogat illum ad contractum assecurationis secum celebrandum. 3. ut assecurator moneatur de veris periculis, quibus res assecuranda subjacet. 4., ut res subsistat, et sit periculo exposita. 5. denique, ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicatur subesse, ita ut rei eventus sit utrique incertus.

Q. Quid solet accipi pro assecuratione?

R. Cum contractus assecurationis maritimae scriptura fieri debeat, art. 323. Cod. Commercii, pretium in ipsa scriptura exprimi debet; alias Mercatorum conventus, seu *Borza di cambio*, est limites pretii statuere; art. 67. ejusdem cod.

Q. Quando incipit, et finitur assecuratio?

R. Si in contractu assecurationis tempus exprimatur, tempus incipit, et finitur tempore determinato. Si non exprimitur tempus incipit quoad navem, et res ad illam pertinentes a die, in qua panduntur vela, usquedum in portum invehitur: quoad vero merces a die, in qua navi imponuntur, usquedum exoneratio fiat, art. 333. et 319. Cod. cit.

Q. Quid ludus?

R. Est contractus, quo ludentes bona propria periculo exponunt propter spem acquirendi bona alterius.

Q. Ludus estne licitus?

R. Generaliter loquendo ex natura sua est licitus, habitis condictionibus; quia ex D. Thoma quaest. 168. art. 2. si debito modo instituatur, duorum virtutum justitiae scilicet, et Eutrapeliae est opus: sicuti etiam potest esse utilis ad vitandum otium. Conditiones requisitae sunt. 1. ut fiat sine vi, fraude, et dolo, 2. ut ludens possit disponere rem, quam ludo exponit. 3. ut aequalis sit conditio colludentium, et 4. ut non ludatur principaliter ob lucrum.

Q. An possit quis aliquando excusari adhibendo aliquas fraudes, et astutias in ludo?

R. Aff· quando adhibet illas fraudes, quas juxta consuetudinem ludentium adhiberi solent, uti timorem oris, ac vultus mutationem.

Q. Ille, qui ludit aliena pecunia, facitne suum, quod ludendo acquirit?

R. Licet litigium sit inter doctores, dicendum tamen est, quia non facit, quia contractus est invalidus, praesertim quando hic non habet aliud, quod perdendo tradere potest. Verum si alter colludens scit rem ludo expositam esse furtivam, tunc facit suum, quia socius cedit juri suo, licet adsint doctores contrarium sentientes.

Q. Qui aliquid lucratur ludo prohibito potestne illud retinere tuta conscientia?

R. Aff., quia etsi ex novissimo jure nulla concedatur actio ad petendum, quod ludo lucratum est, nisi ad corporis dexteritatem comparandam ludus istituatur; tamen si victus sponte solverit, negatur ei actio repetendi solutum, nisi dolus, et fraus victoris probetur, art. 1837; et 1839.

Q. An ludus alearum sit Clericis prohibitus?

R. Ante omnia sciendum. Ludus alearum intelligitur ludus, qui magis fortuna, quam arte, et industria ludentium regitur; quo posito respondetur. Est prohibitus: ut can. 1. *episcopus decreti parte* 2. dist. 25. de *episcoporum sobrietate*; et cap. *Clerici* 25. *de vita*, *et honestate Cleric.* Qui Canones renovati fuerunt a Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.*

De Sponsione.

Q. Quid Sponsio?

R. Est contractus, in quo duo de veritate vel eventu rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus.

Q. Quaenam sunt conditiones justae sponsionis?

R. Plures, et 1. ut fiat super re dubia. 2. ut sit dubium eventus in utroque spondente. 3. ut eodem sensu uterque accipiat id, de quo certatur, et 4., ut sit aequalitas in re, quae spondetur cum aequali incertitudine.

Q. Estne licitus hic contractus?

R. Aff. quando est de re licita, quia est contractus sortis, dum uterque periculo lucri, et jacturae est expositus.

Q. Estne licita sponsio super vitam, mortem, aut futuram electionem Rom. Pontificis, vel super promotionem Cardinalium?

R. Neg., imo est prohibita sub excommunicatione Papae reservata, ut ex Bulla *Coget nos* Gregorii XIV.

Q. Qui aliquid lucratur sponsione, potestne tuta conscientia retinere?

R. Quod dictum est de ludo, dic de sponsionis lucro, art. cit. 1837. et 1839.

De Contractu alternativo.

Q. Quid Contractus alternativus?

R. Est Contractus, quo quis suscipit aut hanc, aut illam obligationem; et exprimitur particula disjunctiva; ut vendo tibi hunc equum, aut hunc asinum.

Q. Ad quem spectat electio?

R. Ad illum, qui se obligat dare hoc, vel illud, nisi aliter conveniatur, art. 1143.; quare si una ex promissis pereat, vel nequeat tradi, etiamsi adsit culpa tradentis, quae remanet, debetur; nec pretium ejus potest offerri pro illa, quia obligatio non amplius alternativa, sed pura, et simplex est, art. 1746.

Q. An ille, qui se obligavit dare hoc, aut illud, possit adstringere suscipientem ad re-

cipiendam partem hujus, et illius rei?
R. Neg. art. 1144.
Q. Si una, vel utraque res perierit, ad quid tenetur obligans?
R. Si electionem spectare ad suscipientem conventum sit, videndum, si una perierit culpa obligantis; suscipiens potest petere pretium rei deperditae, aut rem relictam. Si utraque res perierit culpa obligantis, suscipiens potest petere pretium aut hujus, aut illius rei, art. 1147. Si vero electio spectet ad obligantem, tunc si utraque res culpa sua perierit, tenetur solvere pretium ultimae rei deperditae, art. 1146.
Q. Quid si utraque res perierit absque culpa obligantis?
R. Ad nihilum, modo non sit in mora culpabili, quia extinguitur obligatio art. 1148. et 1256.

De Contractibus gratuitis

et primo

De Promissione.

Q. Quid, et quotuplex promissio?
R. Promissio est deliberata fidei datio facta alteri de re quapiam bona, et possibili. Quae triplex est. 1. acceptata, seu perfecta. 2. nondum acceptata, et dicitur pollicitatio, et 3. quae est sub certa verborum forma facta, et dicitur in jure stipulatio, uti dabis mihi centum? et alter: dabo.

Q. An promissio differt a voto?
R. Aff., quia 1. promissio fit Deo, et etiam hominibus, votum tantum Deo. 2. promissio requirit manifestationem externam, votum non 3. illa obligat virtute fidelitatis, vel justitiae, hoc virtute Religionis. 4. ut illa obliget, debet esse de re bona, hoc de meliori bono.

Q. An promissio differt a proposito?
R. Aff., et 1. illa exigit voluntatem obligandi, hoc intentionem faciendi, dandi. 2. illa fert obligationem ex veracitate, et ex fidelitate ad praestandum, quod promittitur, hoc fert obligationem tantum ex veracitate ad confirmanda verba mentis, ita ut si intentio mutetur cum causa, non peccatur, quia prudentis est ex causa mutare mentem; si vero sine causa mutetur, peccatum tantum veniale est ob inconstan-

tiam, et levitatem cordis, Ita Suarez, Lugo, aliique comm.?
Q. Quando promissio obligat?
R. Post acceptationem, ut ex L. 1. si pollicitus Dig. lib. 10. tit. 11. de pollicitationibus, quia obligatio intelligi non potest, nisi duorum mutuo consensu juxta L. 1. Hujus Dig. lib. 2. tit. 14. de pactis.
Q. An promissio jurata possit revocari ante acceptationem?
R. Aff., quia juramentum sequitur naturam primordialem actus, cui inhaeret, ut ex L. finali Indubitati juris Cod. lib. 1. tit. 3. de non numerata pecunia. Excipe, si promissio sit facta infantibus, vel rationis incapaci, cum a lege videatur acceptari, vel Civitati causa reparationis, aedifici ruina igne destructi, ut ex L. III. Pactum Dig. loc. cit.
Q. An requiratur acceptatio, ut promissio facta Ecclesiis, vel aliis piis causis obliget?
R. Juxta nonnullos Doctores non requiritur quia privilegia Civitatibus concessa ad pias causas ob eum favorem extendi videntur. Quod juxta Salmaticenses est verum, quando promissio fit in honorem Dei, e. g. promitto Deo dare centum Ecclesiae, quia in casu promissio habet vim voti, in quo Deus acceptat, non vero quando fit immediate promissio causae piae, nam tunc non obligat nisi post acceptationem, cum promissio natura sua imbibat conditionem, si acceptetur: quae promissio juxta Salm., et alios

potest a quolibet particulari nomine Ecclesiae acceptari.

Q. An peccat mortaliter, an venialiter qui promissionem acceptatam non solvit?

R. Dist. Vel loquitur de promissione improprie dicta, ut si promittens intendit se obligare ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, peccat leviter, licet materia sit gravis; quia fidelitas secundum se non obligat sub gravi. Vel loquitur de promissione proprie dicta, ut si promittens intendet se obligare ex virtute justitiae, et transferre jus, et actionem in promissario, peccat mortaliter, si materia est gravis; ut ex illo vulgari dicto: *Omne promissum est debitum*. Verum juxta plures Doctores major quantitas ad mortale requiritur in violatione promissionis gratuitae, quam onerosae, ut in furtis, quia minus censetur invitus promissarius, quando res gratis promissa recusatur, quam si res propria aequalis valoris auferatur.

Q. An mortuo promissario possint haeredes promissionem acceptare?

R. Neg. quia est potestas personalis, quae spirat cum persona.

Q. An mortuo promittente ante acceptationem promissarii possit promissio ab haeredibus revocari?

R. Litigium inter doctores.

Q. Quid si promissio facta per Procuratorem revocetur a promittente ante acceptationem, et revocatio non innotuerit?

R. Vel Procurator fuit electus ad faciendam

promissionem nomine sui; vel fuit electus ad manifestandam promissionem a se factam. Si primum, promittens remanet obligatus, quia mandans tenetur rectum habere, quod bona fide mandatarius fecit ex sui commissione, ut ex L. XVI. Si mandassent dig. lib. 17. tit. 1. Mandatum, vel contra. Si alterum, non remanet obligatus promittens, quia tunc procurator defert voluntatem promittentis, quae non existit. Ita Sanchez.

Q. Quando ponenda est acceptatio?

R. Post notitiam factae promissionis. Hinc si promissio fiat praesenti, acceptari debet incontinenti, vel quasi incontinenti moraliter loquendo. Si vero fiat absenti, promissarius per epistolam vel per nuntium debet manifestare acceptationem. Ita doctores comm.

Q. Quot modis promissio desinit obligare?

R. Pluribus modis. 1. Condonatione promissarii. 2. mutatione objecti 3. Ingratitudine promissarii et 4. ob non subsistentiam causae finalis.

De Donatione.

Q. Quid et quotuplex donatio?

R' Donatio est collatio rei licitae nullo jure cogente mera liberalitate facta. Quae dividitur 1. in mere gratuitam, et remuneratoriam I. est illa, quae nullius beneficii accepti intuitu fit, II. quae fit intuitu alicujus beneficii. 2. de jure veteri olim licet dividebatur in donationem causa mortis, et inter vivos; nunc tamen jure novissimo su-

blata est haec divisio, sed omnis donatio fieri debet vel per contractum inter vivos, vel per testamentum. Quae donatio inter vivos est contractus, quo quis hic donat, ut vivens vult transferre absolute rem in donatarii dominium.

Q. Quinam possunt donare?

R. Non solum omnes, qui habent dominium, et administrationem rei, sed etiam ex novissimo jure minores in contractu matrimonii possunt sponte donare, ut majores, cum consensu illorum, qui ad nuptiarum licititatem requiruntur, art. 1049. Sicut mulier nupta potest donare filio legitimo absque consensu viri, art. 206.

Q. Donatio facta juxta legem quando valet?

R. Quando expresse per scripturam acceptatur, art. 856. Acceptatio vero hoc modo fieri debet. Si donatarius sit major ab ipso. Si minor a patre, vel matre vel tutore cum consensu consilii familiae, art. 859. Si sit uxorata ab ipsa cum consensu viri, aut judicis, art. 806. et 858. Si sit mutus, et surdus, videndum, si scribere sciat, per seipsum, vel per procuratorem; Si scribere nesciat, per curatorem ad hoc electum, art. 860. Si sint Ecclesiae, vel loca pia per administratores; art. 861. donatio tamen, acceptatio, et ejus notificatio transcribi debent in publicis hypothecarum tabulariis, art. 863. et seq.

Q. Quando dominium rei donatae transfertur donatario?

R. Facta acceptatione, etsi res non tradatur, art. 862.
Q. An donatio nulla ob defectum ritus juxta leges servandi, possit firmari?
R. Non potest firmari a donante, nisi alia donatione; ejus haeredes vero possunt illam quocumque actu ratam habere, vel actioni ad eam revocandam renunciare, art. 1293. et seq.
Q. An donator possit revocare donationem factam mulieri, vel minori sine viri, vel consilii familiae auctoritate?
R. Neg. juxta probabiliorem sententiam, quia art. 214. dicitur nullitatem ex auctoritatis defectu exortam opponi non posse, nisi a viro, uxore, eorumque haeredibus, et art. 1079. sancitur, personas se obligandi capaces, minoris, et uxortae incapacitatem opponere non posse.
Q. Quantum donari potest inter vivos?
R. Omnes majores, quibus non sunt haeredes habentes jus ad legitimam, possunt donare omnia bona praesentia tam mobilia, quam immobilia, art. 832., et 867. Bona vero futura tantum in matrimonii contractu, art. 1040. Alii, qui habent filios, vel adscendentes, quibus jus est ad legitimam, donare possunt tantum quotam disponibilem, art. 829., et si excedant, donatio reducitur ad disponibilem, art. 837. et donatarius tenetur restituere fructus perceptos ex excessu a die mortis donantis, si actio intra annum instituatur, secus vero a die

actionis ad restitutionem habendam, art. 845.

Q. An fieri possit donatio Ecclesiae, vel Locis piis extructis?

R. Aff. quia istae jure Civium plenissime gaudent, art. 10.

Q. An donatio inter Conjuges valeat?

R. Aff, sed usque ad donatarii mortem revocari potest, art. 1050. Advertendum tamen est, quod Conjux, cui ex antecedenti matrimonio filii sunt, contrahens secundas nuptias non potest alteri Conjugi donare ultra quotam filii legitimi, qui minus accipit, art. 1052.

Q. An donatio inter vivos revocari possit?

R. Neg. nisi ob tres causas, scilicet ob conditiones non adimpletas in donatione appositas, ob ingratitudinem donatarii, et ob prolem postea susceptam, art. 878. Excipe donationem causa matrimonii, et donationem inter Conjuges, quia illa ob ingratitudinem, ista ob prolem postea susceptam revocari non possunt, art. 884. et 1050.

Q. An, statim ac habeatur inadimpletio conditionis, ingratitudo donatarii, et proles inde suscepta, revocetur donatio?

R. Donatio ob inadimpletionem conditionis appositae, et ob prolem inde susceptam ipso jure irrita declaratur, ita ut bona donata a quocumque onere libera redeunt ad donantem, excepta obligatione in subsidium pro restitutione solius dotis mulieris ipsius donatarii, art. 879. et 888. Donatio vero ob

ingratitudinem donatarii non ipso jure revocatur, sed donans actionem ad revocandam donationem intra annum, ex quo crimen admissum, vel cognitum est, instituere debet contra donatarium, non contra haeredes, art. 882.

Q. An haeredes donatoris possint instituere querimoniam contra donatarium ingratum?

R. Neg., ut art. 882. Excipe quando donator intra annum actionem instituit, vel ante annum mortuus est, actione non instituta; in quo casu possunt vel instituere, vel prosequi actionem, art. cit. 882.

Q. An donatarius ingratus praeter rem donatam teneatur restituere aliud?

R. Tenetur restituere fructus rei a die petitae revocationis, art. 883.

Q. Quando habetur ingratitudo capax revocationis?

R. 1. quando attentaverit donantis vitae. 2. quando saevitias, delicta, vel graves injurias contra donantem commiserit, et 3. quando ei negaverit alimenta, art. 880.

Q. An donatio inter vivos revocatur ob prolem inde susceptam, etsi sit remuneratoria?

R. Aff., nam ex novissimo jure si donatori post donationem factam quacumque ex causa etiam remuneratoria, filius legitimus, quamvis ante donationem conceptus, vel postumus nascetur vel filius naturalis per subsequens matrimonium legitimetur, ipso jure irrita fit donatio, art. 865.

Q. An donatarius in hoc revocationis casu praeter rem donatam teneatur ad aliud?

R. Tenetur restituere etiam fructus rei donatae a die, qua ei legitima significata est nativitas, vel legitimatio filii donatoris, art. 887.

Q. An donatarius possit hoc casu bona donata praescribere?

R. Aff. post triginta annos a die nativitatis postremi filii donatoris, art. 891.

Q. An donationes ob prolem susceptam revocatae reviviscant ob mortem prolis?

R. Neg. art. 889.

Q. An donator possit renunciare huic beneficio?

R. Neg. art. 890.

Q. Quid dicendum, si donator juraverit, se non revocaturum donationem?

R. Etiam potest tantum quoad legitimam, quia quoad reliqua potest pater ad sui libitum disponere.

Q. An donatarius teneatur rem sibi donatam, postea prole a donatore suscepta; restituere, si illa extrajudicialiter petatur?

R. Aff., quia haec non est poena, sed dispositio juris irritans omnino donationem.

Q. Quid depositum?

R. Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, art. 1787.

Q. In cujus favorem hic contractus celebratur?

R. In favorem dantis, nulla mercede data, vel promissa; hinc natura sua est contractus essentialiter gratuitus art. 1789. Nam aliter esset contractus locationis, et conductionis, cum depositarius accipiens mercedem censeatur suas operas ad rem custodiendam alteri locasse, ut L. V. *Depositum lib. 18. tit. Si vestimenta.*

Q. De qua culpa tenetur depositarius, si res pereat, vel deterior evadat?

R. Ante omnia sciendum, depositum vel esse voluntarium, vel necessarium. Voluntarium est illud, quod est initum mutuo consensu, et scriptura indiget, si excedat summam ducatorum quinquaginta art. 1795. Necessarium vero est illud, quod fit propter imminentem casum, ut incendium, vastationem, vel alium non praevisum casum; et non indiget scriptura, etiam si excedat summam ducatorum quinquaginta; quapropter testibus probari potest, art. 1822. Quod idem dicendum de deposito apud cauponem, nautam, vel stabularium facto art. 1824. Quo posito respondetur.

Regulariter loquendo tenetur de culpa lata, et dolo, quia est contractus in favorem deponentis, ut ex L. citata. *Si quis servum*

Dixi regulariter loquendo, quia si depositarius sponte se obtulerit rem custodire, aut stipendium accipiat, aut depositum fiat unicè in favorem depositarii, aut depositarius se obligaverit expresse ad custodiendam rem maxima diligentia, vel est nauta, caupo, stabularius, tunc depositarius tenetur de omni culpa, art. 1800.

Q. Quomodo perficitur hic contractus.

R. Traditione reali, aut ideali, scilicet quando res apud depositarium extabat alio titulo, et postea remanet ut depositata apud ipsum; quia nemo suscipit custodiam rei, quae in sua potestate non extat, art. 1791.

Q. An depositarius possit uti re deposita?

R. Neg., nisi expressa vel praesumpta domini licentia, alias censeretur furtum committere, ut art. 1802.

Q. In quibus casibus habetur tacitus domini consensus?

R. 1. quando deponens dat depositum numeratae pecuniae non clausae, neque obsignatae, quia censetur depositario mutuum dare. 2. quando res deposita est usu consumptibilis; in quo casu potest depositarius uti re, modo potest restituere tempore petitionis, quia in casu deponens potius commodum, quam damnum habet.

Q. Quid dicendum si depositarius inveniat rem depositam esse furtivam; cuinam tenetur illam restituere?

R. Furi petenti ad servandam fidem depositi, art. 1809. Verum si certo sciat, rem esse fur-

tivam, debet denunciare domino rem suam esse apud se depositatam, ut infra tempus reclamet. Quod si dominus non curet depositum reclamare intra tempus, depositarius absolutus remanet ab omni obligatione tradendo illam ei, a quo accepit, art. 1810.

De Commodato.

Q. Quid commodatum, et an differt a mutuo?

R. Commodatum est contractus, quo quis rem suam alteri gratuito tradit ad aliquem specialem usum. Differt a mutuo, quia 1. illud est de re usu non consumptibili, hoc de re usu consumptibili. 2. in illo trasfertur tantum usus, in hoc plenum dominium. 3. in illo est restituenda eadem res in individuo, in hoc eadem res in specie bonitatis.

Q. Quaenam res commodari possunt?

R. Mobilia, et immobilia, quae usu non consumuntur, licet minuantur, ut aequus.

Q. De qua culpa tenetur Commodatarius?

D. De omni culpa, quia est contractus in sui favorem, art. 1752.

Q. An detur casus, in quo commodatarius tenetur de culpa lata, vel levi?

R. Aff., et tenetur de culpa lata, quando commodatum fit dumtaxat ob bonum ipsius commodantis. Et tenetur de culpa levi, quando commodatum fit in gratiam utriusque ut L. XVIII. dig.

Q. An teneatur commodatarius de casu fortuito?

R. Neg., quia nemo tenetur ad id, quod absque culpa evenit. Excipe 1. si se obligaverit de casu fortuito 2. si non restituat commodatum culpabiliter tempore prefixo. 3. si utatur commodato ad usum diversum, pro quo datum fuit art. 1753. 4. si commodatum servare potuerit, rem propriam substituendo, et non substitu t art. 1754. 5. denique si res, dum est commodata, aestimata sit, nisi contrarium sit conventum art. 1755. Quod etiam de deposito est dicendum, ut ex cap. 2. *bona fides de deposito.*

Q. An commodatarius possit rem sibi commodatam alteri commodare?

R. Aff., nisi aliter fuerit conventum, quia potest jus suum alteri cedere sine damno commodantis.

Q. An commodans possit repetere commodatum ante praefixum tempus?

R. Neg., nam aliter inferret injuriam commodatario, art. 1760. Verum si urgens, et inopinata necessitas rei commodatae eveniat commodanti, hic potest auctoritate judicis eam repetere, art. 1761.

Q. An quos spectant exspensae factae a commodatario tempore commodati?

R. Expensae ordinariae ad commodatarium, quia cujus est commodum, debet esse incommodum. Exspensae vero extraordinariae ad commodatorem, quia ipsae cadunt in res.

Q. Quid Praecarium?

R. Est illud, quod praecibus petentis conceditur, et tamdiu durat, quamdiu is, qui concessit, patitur. Ita Vulpian. in L. 1. *praecarium Dig. lib. 43. tit. 26. de precario.*

Q. De qua culpa praecarium obligat?

R. De culpa lata, ed dolo, ut ex L. XXXII. *quod dig. loc. cit. depositi.* Quia licet sit in gratiam recipientis, attamen est restituendum ad libitum concedentis, et ideo obligat de culpa lata.

Q. An statim dominus possit repetere praecatium?

R. Neg. sine urgente necessitate, ne frustra, et illusorie fuerit concessum. Ita Abbas *in cap. ultimo n. 13. de praecario.*

Q. An possit apponi pactum in praecario non repetendi nisi ad certum tempus?

R. Neg. quia hoc est contra naturam praecarii, et esset invalidum, ut ex L. II. *de praecario dig. loc. cit.*

Q. In quibus rebus costitui potest praecarium?

R. Non solum in rebus corporalibus tam mobilibus, quam immobilibus, sed etiam in juribus, ut ex L. III. dig. loc. cit.

Q. Ex quotuplici capite revocatur praecarium?

R. Ex multiplici 1. expressa, vel tacita concedentis voluntate. 2. morte illius, cui fuit concessum, quia non transit ad haeredes, cum sit gratia personalis, ut ex L. II. cit., et 3. morte concedentis, si praecarium fue-

rit concessum ad beneplacitum concedentis, quia voluntas, et beneplacitum cessat per mortem, ut ex cap. 5. *si gratiose de Rescriptis in 6.*; nam si praecarium fuerit concessum absolute, non cessat morte concedentis, sed revocatione, dum in casu durat, quandiu a concedente, vel successore non revocatur.

De Mutuo.

Q. Unde nomen mutui, et quid mutuum?

R. Mutuum allusive dicitur ex meo tuum, ut ex L. II. *mutuum* 2. *appellata est dig. lib. II. de rebus creditis.* Quod definitur contractus, in quo res usu consumptibilis traditur quoad dominum, et usum sub obligatione postmodum in specie, qualitate, et quantitate reddendi.

Q. Quotuplex est mutuum?

Q. Duplex, expressum, et tacitum I. habetur, quando quis actualiter dat alteri pecuniam in mutuum. II. est illud, quod virtute includitur in aliis contractibus; ut si quis vendat alteri domum concessa dilatione ad pretium solvendum.

Q. Quaenam res mutuari possunt?

R. Illae, quae usu consumuntur, ut vinum, et pecunia numerata, quae saltem comparatione utentis usu consumitur, dum licet physice non consumitur, moraliter tamen consumi dicitur.

Q. Cuinam perit, quando res mutuata casu fortuito pereat?

R. Mutuanti, quia ipse est dominus art. 1763.

Q. An detur obligatio mutuandi?

R. Neg., nisi aliquando ex praecepto caritatis, ut si quis sit in extrema, vel gravi necessitate; quia si in istis casibus caritas obliget ad eleemosynam, a fortiore ad mutuum obligat etiam cum periculo amittendae sortis. Imo mutuator non potest aliquid accipere ratione lucri cessantis, quia licet ex justitia mutuare non teneatur, absolute tamen tenetur sub peccato.

Q. Ad quid tenetur mutuatarius?

R. Tenetur restituere mutuum tempore determinato; et si tempus non sit praefixum, determinatio est a judice facienda secundum circumstantias; art. 1774. et 1772.

Q. An dentur casus, in quibus non habetur obligatio restituendi mutuum jure Civili?

R. Aff; et 1. quando mutuum fiat filiofamilias non majori vigintiquinque annis, modo creditor non ostendat illud in filiifamilias utilitatem cessisse art. 295. et 297. et 2. quando mutuum fiat minori, qui nullo contractu civiliter obligari potest, ut supra diximus.

Q. In quo casu filiusfamilias, et pater ejus tenetur restituere mutuum?

R. Quando est minor emancipatus anno XVIII completo, et exercet consensu patris, vel, eo defuncto, matris, et eorum defectu consili familiae consensu, ac judicis auctoritate, exposito per duos menses publice in Tribunali Commercii, art. 6. ejusdem Cod.

mercaturam publicam, quia in rebus ad Commercium pertinentibus se veluti major quocunque modo obligare potest, art. 410 Cod. Civ. et 7. Cod. Com.

De Usura.

Q. Quid usura?

R. Est lucrum immediate proveniens ex mutuo ratione mutui.

Q. Quid per ly lucrum, quid per ly immediate?

R. Per ly lucrum intelligitur omnis acquisitio rei pretio aestimabilis, et indebitae. Hinc intelligitur munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio. Per ly immediate intelligitur, quod lucrum supra sortem proveniat ex mutuo, quia si proveniat ex amicitia, vel benevolentia non est usura.

Q. Quotuplex est usura?

R. Triplex, scilicet mentalis, realis, et palliata. 1. Est, quando quis dat mutuum, et intendit aliquid supra sortem consequi ex mutuo, sed exterius non manifestat. 2. Est, quando quis lucrum ex mutuo expresse, vel tacite in pactum deducit. 3. Est illa, quae sub pallio alicujus initi contractus committitur; e. g. si quis vendat domum majori pretio, quo valet ob dilatatam solutionem.

Q. An Usura sit prohibita?

R. Aff. et 1. jure naturae, quia injustitia est, quod mutuator exigat lucrum ex re

alterius, cum mutuum sit mutuatarii, non mutuatoris. 2. Jure divino, ut ex Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, scilicet supra sortem, ut Doctores explicant. 3. Jure Ecclesiastico, ut ex cap. 1. *Consuluit*, et ex toto titulo *de usuris*. Jure denique Civili, ut ex decreto Reali nuper Curiae Criminali dato, quo conceditur actio contra Usurarios. Quod si ex jure novissimo art. 1777. generatim in muto stipulari concedatur, tamen intelligendum est de lucro cessante, de damno emergenti, et de periculo amittendi sortem ex mutuo: neque aliter lex a Catholico Principe lata catholico sensu intelligenda est. Ideoqne qui aliter interpretantur, aut faciunt, non lex ipsis, sed ipsismet sibi laqueum aeternae damnationis injiciunt.

Q. An usurarius mentalis teneatur restituere lucrum, quod supra sortem accepit?

R. Aff., quia semper injuste accipit, licet tamen, si gratis acceperit, potest illud retinere mutando usurariam voluntatem.

Q. An liceat intendere, vel sperare lucrum ex mutuo?

R. Aff., modo intendatur, vel speretur ex amicitia, aut liberalitate, quia sperare, quod est bonum, peccatum non est. Si vero intendatur, vel speretur tamquam debitum ex justitia, usura est, ut ex dicto cap. 6. Lucae.

Q. An liceat exigere aliquid supra sortem non

ex justitia, sed tamquam debitum ex gratitudine?

R. Neg. quia videtur esse pactum implicitum usurarium; et adest prop. 42. damnata ab Innoc. XI.

Q An liceat mutuare cum pacto remutuandi?

R. Neg. modo exigatur hoc ex justitia, quia imponitur onus, ad quod non tenetur. Ita Laym.

Q. An liceat mutuare cum pacto, ut mutuatarius frequentet suam officinam, et justo pretio emat.?

R. Neg. si hoc exigatur tamquam obligatio justitiae, quia imponitur onus D. Th.

Q. An liceat exigere aliquid ex mutuo ob obligationem sibi impositam non repetendi illud usque ad certum tempus?

R. Neg., quia dilatio temporis est intrinseca mutuo, ut ex prop. 42. ab Alex. VII. damnata.

Q. An possit quis exigere aliquid ultra sortem, quia pecunia praesens est praetiosior futura?

R. Neg. quando non habetur damnum emergens, ut ex prop. 41. ab Innoc. XI. damnata.

Q. An sit usura mutuare cum pacto solvendi alteri debitum?

R. Vel est debitum certum, et liquidum, non est usura, quia imponitur onus, ad quod tenetur. Vel est litigiosum, est usura ob oppositam rationem.

Q. An sit usura mutuare cum pacto remittendi injuriam inimico?

R. Dist. si sit quoad forum conscientiae, non est usura, quia ad hoc tenetur mutuatarius. Si sit quoad forum externum, est usura ob. oppositam rationem.

Q. An mutuatarius teneatur restituere mutuum juxta tempus acceptionis, vel solutionis?

R. Dist. Si sit pecunia, justa dies solutionis, quia in ea inspiciendus est valor, itaut si augeatur, vel minuatur, mutuatario augetur, vel minuitur, art. 1767. Si sit alia res, ut vinum; juxta tempus acceptionis, quia in ea est inspicienda quantitas, art. 1769.

Q. An dentur casus, in quibus potest exigi aliquid ultra sortem absque usurae labe?

R. Aff., et sunt tres, scilicet quando habetur lucrum cessans, damnum emergens, et periculum amittendi sortem.

Q. Quot conditiones requiruntur, ut quis ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem accipere possit?

R. Plures, et 1., ut lucrum revera, vel probabiliter cesset 2., ut cesset ratione mutui 3., ut moneatur mutuatarius de lucro cessante; et 4. ut tantum exigetur, quantum est lucrum cessans, deductis expensis, et labore.

Q. Quot conditiones requiruntur, út quis possit ratione damni emergentis aliquid ultra sortem accipere?

R. Plures, et 1., ut damnum vel sit, vel probabiliter immineat; 2. ut sit ratione mutui

3. ut moneatur mutuatarius de damno, et 4. ut accipiatur, quantum est damnum.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut quis possit accipere aliquid ultra sortem ratione periculi amittendi sortem?

R. Plures, et 1. ut periculum sit extrinsecum 2., ut mutuator non cogat mutuatarium ad ineundum pactum assecurationis secum et 3. ut exigatur, quantum daretur pro assecuratione.

Q. An qui bona fide contractum usurarium celebraverit in casu, quo poterat alium justum celebrare, possit retinere lucrum perceptum recognita?

R. Neg., quia injuste accepit, et injuste retinet; licet adsint Doctores contrarium tenentes.

Q. An qui potest alia pecunia otiosa lucrari, possit exigere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, dando in mutuum pecuniam negotiationi expositam?

R. Dist. vel illa pecunia otiosa est deputata ad usum propriae familiae, et potest, quia lucrum revera cessat, nam illa habetur ac si non esset. Vel est mortua, et non potest, quia lucrum non cessat ratione mutui, cum possit per aliam lucrari.

Q. An liceat exigere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, quando quis ob pecuniam negotiationi subtractam pro mutuo se applicat aliis industris, quibus tantundem, et aeque facile lucratur?

R. Neg., quia si revera lucrum non cessat

ratione mutui, sed per hoc datur occasio lucrandi aliunde, quam non habuisset, si in negotiatione permansisset. Ita Lessius.

Q. An liceat vendere mense Augusti, frumentum eo pretio, quo valet mense Januarii?

R. Dist. vel mense Januarii pretium potest augeri, et minui, licet, quia est contractus sortis. Vel mense Januarii potest tantum augeri pretium, non licet, quia non habetur titulus lucrandi, ut ex cap. ultim. *naviganti de usuris*. Excipe, si dominus conservaturus sit frumentum, quia habetur lucrum cessans.

Q. An compensatio lucri cessantis possit exigi statim dato mutuo?

R. Neg., sed exigi debet tempore, quo lucrum fuisset, nam qui mutuat centum, et statim recipit decem, pro lucro cessante, jam non mutuat centum, sed nonaginta, ac proinde recipit quid ultra lucrum cessans.

Q. An liceat exigere aliquid ultra sortem quia pauper est mutuatarius?

R. Neg. quia periculum hoc est intrinsecum.

Q. An liceat exigere aliquid ultra sortem a divite, vel ab alio, qui ex pecunia mutuata magnum lucrum est percepturus?

R. Neg., quia usura in scripturis generaliter, et sine distinctione pauperis, et divitis prohibetur, ut ex ep. Bened. XIV. *vix pervenit* 1745. edita.

Q. An possit apponi paena conventionalis in mutuo, ita ut si non solvatur mutuum in-

tra tale tempus, solvendum est aliquid aliud ultra sortem?

R. Praemittendum est, triplicem esse paenam. 1. est legalis; quam lex decernit propter culpam. 2. est judicialis, quam in particulari causa Judex infert. 3. est conventionalis, quae consensu contrahentium solvenda statuitur ab eo, qui a contractu recesserit vel in mora culpabili restituendi debitum fuerit.

Quo posito. Potest; sed habitis conditionibus, quia debitor peccat contra justitiam non restituendo tempore praefixo, tum quia jure naturali, et civili conceditur, ut homines se mutuo obligari possint paenis conventionalibus appositis, ut ex L. XIV. *Si pacto cod. lib. 1. tit. de pactis.*

Conditiones sunt 1. ut paena non sit apposita ad palliandam usuram. 2. ut sit justa. 3. ut mora sit notabilis, et 4. ut sit notabilis.

Q. An mutuator possit exigere pignus vel hypotheca ob mutui securitatem?

R. Praemittendum 1. pignus esse contractum, quo quis tradit rem suam mobilem alteri pro mutui securitate. 2. hypothecam vero esse contractum, quo quis rem immobilem obligat creditori ad securitatem crediti, ita ut jus habeat ex ea solutionem petendi.

Quo praemisso. Potest, quia unusquisque habet jus servandi se indemnem.

Q. An liceat apponere pactum legis commissoriae in pignore pro securitate mutui accepto?

R. Cum pactum legis commissoriae in pignore habeatur, quando quis accipit pignus pro securitate crediti ea conditione, ut si creditor mutuum non solvat intra certum tempus, fiat suum pignus, dico: Regulariter loquendo hoc pactum est illicitum; quia isti plurimum pignus valet plusquam mutuum, ut ex cap. 7. *significasti de pignore.*

Dixi regulariter loquendo, quia est licitum, si pignus valet, quantum est mutuum. Vel si valeat plus, appositum est pactum, ut vendatur justo pretio, retinendo debitum, et restituendo superfluum.

Q. An liceat apponere pactum anticreseos in pignore pro mutui securitate?

R. Cum pactum anticreseos sit conventio inter creditorem, et debitorem, ut creditor possit tamdiu pignore, et fructibus ejus uti, donec debitum ipsi sit restitutum, dico non licere, cum sit usurarium, quando pro mutuo nihil ultra sortem exigi potest, quia nullus titulus lucrandi adest; vel quando fructus excedunt quod debetur ratione vel lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi amittendi sortem; quia fructus pignoris sunt appignorantis, cum ipse sit dominus, non appignoratarii. Si vero fructus pignoris aequivaleant ei, quod debetur supra sortem pro mutuo, quia adest titulus, tunc licet apponere hoc pactum art. 1955.

Q. An, qui condit instrumentum usurarium, peccet, et ad restitutionem teneatur?

R. Dist. vel condit illud ad instantiam ma-

tuatoris, peccat contra justitiam, et contra Religionem ratione juramenti praestiti non condendi tale instrumentum ; vel condit ad instantiam mutuatarii, non peccat, quando mutuatarius habet justam causam petendi mutuum, quia sicut mutuatarius non peccat, sic nec Notarius, alias peccat contra caritatem ratione cooperationis.

Q. An usurarius incidat in poenam?

R. Tantum usurarius notorius incidit 1. in infamiam, ut ex can. 2. *Infames causa.* 3. *quaest.* 7. 2. est arcendus a communione altaris. 3. privatur sepultura Ecclesiastica, ut *ex cap.* 3. *in omnibus de usuris*. 4. denique non potest conficere testamentum, ita ut confectum nullum decernitur, nisi solverit usuras, vel sufficientem cautionem praestiterit; quae debet esse vel pignorativa, vel fidejussoria, ut *ex cap. quamquam de usuris in* 6.

Q. An Clericus usurarius incidat in alias poenas?

R. Dummodo sit notorius, quia ipso facto est infamis, incidit in inhabilitatem ad Ecclesiastica beneficia, et officia, ac proinde in irregularitatem, ut *ex can. cit. infames.* In quo monet Glossa V. Suspendas, Episcopum post poenitentiam, et satisfactionem posse dispensare, ut Clericus maneat in beneficio legitime obtento, et etiam ut aliud beneficium ei conferatur, non vero conferatur beneficium ei collatum, dum erat usurae vitio irretitus, ut *in cap. II. inter dilectos de excessibus Praelatorum.*

Q. Quinam dicuntur usurarii notorii?

R. Qui sunt notorii vel notorioritate facti, ut si exerceant usurarios contractus multis inspicientibus, ita ut nulla possit tergiversatione celari, vel notorioritate juris, ut damnati de hoc crimine per sententiam judicis, vel delictum per idoneos testes coram Judice est bene probatum.

Q. An usurarius, qui jam praecepit in suo Testamento, ut usurae restituantur, tumulari possit in Ecclesia?

R. Neg., quousque de facto sit facta satisfactio, vel sufficiens cautio fuerit data creditoribus, vel Episcopo, vel ejus Vicario, his absentibus, ut *ex cap. quomquam cit.*

Q. In quam poenam incidunt praesumptuose sepelientes usurarium notorium?

R. In excomunicationem, a qua debent absolvi quousque arbitrio Episcopi satisfecerint, ut ex *Clementina I. eos, qui de sepulturis.*

Casus hujus Clementinae sunt, ligatus excomunicatione est 1. qui in casibus non permissis defunctos sepelit temerario ausu in loco sacro tempore interdicti. 2. qui sepelit nominatim interdictos 3. qui scienter sepelit pubblice excommunicatos et 4. qui dat sepulturam usurario publico.

Q. In quam poenam incidunt, qui locant domum usurario publico extero?

R. Si sint Ecclesiastici incidunt in excommunicationem nemini reservatam. Si Episcopi in suspensionem. Si communitas in interdictum, ut ex *cap. 1. Universorum de usuris in 6.*

Q. An judex, qui compellit mutuatarium

ad solutionem usurarum, aut impedit earum restitutionem, incidat in poenam?

R. Incidit in excomunicationem latae sententiae. Sic etiam omnes officiales communitatis usuris faventes, ut *ex Clementina ex gravi de usuris*.

Q. An ille, qui recipit usurarii oblationes, incidat in poenam?

R. In suspensionem ab officio, donec satisfaciat ad arbitrium Episcopi ut ex *cap. quia in omnibus cit.*

De Testamentis.

Q. Quid Testamentum?

R. Cum Testamentum dicatur a testando, definitur a Vulpiano, in *L. 1. Dig. de testamentis*, voluntatis nostrae juxta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

Q. Quotuplex est Testamentum?

R. Jure novissimo triplex est, scilicet olographum, in forma mystica, et per actum publicum. Olographum est illud, quod est a Testatore propria manu scriptum, et subscriptum cum oppositione diei, mensis, et anni, in quo fuit exaratum. Testamentum in forma mystica est illud, quod fit scriptura vel propria, vel aliena manu, et traditur notario cum sex testibus, et septem, si non est a Testatore subscriptum, cum hujus declaratione, illud scriptum continere ejus voluntatem, ut involvatur in charta, et

sigillis muniatur. Testamentum per actum publicum est illud, quo Testator coram notario, et quatuor testibus, vel duobus notariis, et duobus testibus declarat, quod fieri vult post mortem. art. 894. *cod. civ. tit. de testam. cap. V. sez. 1.*

Q. An requiratur aliud ad testamentum per actum publicum, ut sit validum?

R. Aff. nam praeter supradictas conditiones requiritur etiam, 1. ut dictetur a Testatore, et scribatur a notario coram testibus 2., ut legatur coram ipsis, et in omnibus foliis a testibus, et a Testatore subscribatur. Verum si Testator reperiatur in villis, potest hoc testamentum subscribi ab uno teste, si a duobus Notariis, vel a duobus testibus, si ab uno Notario recipiatur testamentum, art. 900. 3. demum, ut in testamento declaretur omnes solemnitates servatas esse, art. 896. et seq. Quod si Testator non possit aut nesciat scribere, hoc declarari debet cum causa impedimenti subscriptionis, art. 899.

Q. An omissio supradictarum solemnitatum reddat testamentum nullum?

R. Aff. et non solum omissio dictarum solemnitatum, sed etiam illarum formularum, quae in Notariorum statuto anni 1819. sub nullitatis poena decernuntur, inane reddit testamentum, art. 927.

Q. Quid si Testator nesciat, vel nequeat legere, aut non possit loqui?

R. Si nesciat, vel nequeat legere, non potest

testamentum condere in forma mystica. Si vero non possit loqui, sed possit scribere, potest condere testamentum in forma mystica, sed debet ipse integre testamentum scribere, et subscribere proprio charactere cum appositione diei, et illud praesentare Notario, et testibus; nec non coram istis debet proprio charactere in subscriptione scribere illud esse suum testamentum, art. 904., et 905.

Q. Quinam esse debent testamenti testes?

R. Masculi majoris aetatis, subditi Regis nostri, et gaudentes civilibus juribus. Et in testamento per actum publicum testes esse nequeunt legatarii, propinqui, et affines usque ad IV. gradum, nec ministri Notariorum requisitorum, art. 906. et 901.

Q. Quinam possunt testari?

R. Omnes de bonis suis testamentum condere possunt nisi a jure sit illis prohibitum.

Q. Quibus jure positivo est prohibitum testari?

R. Ex jure novissimo 1. Prodigo sine consulente, art. 817. 2. damnato ad ergastulum: imo omnia ejus bona statim ad haeredes deferuntur, art. 16. Cod. Crimin., et 3. damnato poena privante juribus civilibus, ut eod. Cod. Crimin.

Q. Quotuplici modo revocari potest testamentum?

R. Ex jure novissimo 1. per actum publicum. 2. per posterius testamentum, quod expresse prius revocat, art. 990. 3. per aliena-

tionem rei legatae, aut in toto, aut in parte factam a Testatore, etsi cum pacto redemptionis, vel permutationis, etiamsi alienatio sit irrita, et res redierit ad Testatorem, nam tunc testamentum revocatur quoad rem alienatam; art. 993. 4. per inadimpletionem conditionis. 5. per ingratitudinem haeredis, vel legatarii, et 6. per prolem inde susceptam, art. 883.

Q. Quid si posterius testamentum, quod expresse prius non revocat, contineat dispositiones incompatibiles, vel contrarias illis contentis in priore?

R. In hoc casu illae contentae in priori tantum nullae remanent, art. 991.

Q. Quid si posterius testamentum, quod prius expresse revocat, non exequatur ob renunciationem, aut incapacitatem haeredis, vel legatarii?

R. Prius revocatum est art. 992.

Q. Quinam institui possunt haeredes, vel legatarii?

R. Omnes, qui non sunt a jure expresse inhabiles facti ad haereditatem, vel legatum, sive civitas, collegium.

Q. Quinam a jure sunt inhabiles ad haereditatem, vel legatum?

R. Ex novissimo jure 1. Medici, Pharmacopolae, doctores consulentes testamentum, et Religionis ministri in ultima infirmitate adhibiti, non possunt isti institui haeredes nec per se, nec per interpositas personas, modo non sint IV. gradu conjuncti testato-

ri carenti liberis, vel instituti sint titulo particulari casu remunerationis, habita proportione bonis relictis, et operis praestitis, art. 825. 2. filii incestuosi, spurii, et illegitimi; modo alimenta eis relicta sint secundum legem, art. 678. 3. tutor nequit a minore institui haeres, etiamsi hic factus sit major, nisi postquam rationes gestae tutelae reddiderit, excipe si sit minoris ascendens; art: 823.

Q. Quid dicendum de Ecclesiis, et locis piis?

R. Possunt institui haeredes, vel legatarii, art. 826.

Q. Quotuplicis generis sunt haeredes?

R. Multiplicis generis; alii ex testamento, alii ab intestato, qui scilicet ex dispositione legis in bona defuncti succedunt. Alii universales, seu ex asse, scilicet sine ullo haerede succedunt. Aliique particulares, qui scilicet cum alio, vel aliis succedunt; imo isti in re certa tantum haeredes instituti potius legatarii dicuntur, et haeredum obligationem non subeunt, ut ex L. *quoties cod. lib.* 6. *tit. de haeredibus instituendis.*

Q. Quinam sunt haeredes necessarii?

R. Sunt descendentes, his deficientibus, sunt ascendentes.

Q. Quaenam est legitima descendentium, et quaenam ascendentium?

R. Ex jure novissimo legitima portio filiis relinquenda est dimidium haereditatis, art. 829. filiorum nomine intelliguntur 1. descendentes, 830. 2. filii naturales per subsequens

matrimonium legitimati, art. 255. filii adoptivi, etiamsi sint alii filii ex matrimonio, art. 274.

Legitima portio ascendentium reliquenda est dimidium illius portionis, quam ob intestato habuissent, art. 831. Hinc cum ex art. 671. ascendentes cum fratribus, et sororibus defuncti ab intestato concurrant, patet ascendentium legitimam esse majorem, vel minorem prout est numerus fratrum, vel sororum.

Q. An filii naturales succedant parentibus?

R. Quod isti succedant matri nulli dubium; sed tunc succedunt patri, quando fuerunt a patre legaliter recogniti, art. 674. Quae successio est in dimidio illius, quod habuissent ut geniti ex legitimo matrimonio, si concurrant cum filiis legitimis: in triente, si concurrant cum aliis legitimis haeredibus: in toto, si non adsint haeredes, art. 674. cit.

Q. Quid debetur filiis naturalibus per Principis decretum legitimati?

R. Quod dictum est de naturalibus, art. 682.

Q. An adsit obligatio relinquendi aliquid fratribus, et sororibus?

R. Ex jure positivo etiam novissimo nihil, art. 832. Ex equitate vero videtur adesse, quando sunt indigentes exemplo divi Augustini, qui haereditates Ecclesiae relictas restituit non solum parentibus, et liberis, sed etiam affinibus.

Q. An filius adoptivus moriens teneatur legitimam patri adoptanti relinquere?

R. Cum in novissimo jure art. 275. statuatur, adoptantem nullo jure frui in bonis adoptati, illis exceptis, quae ab ipso adoptante fuerunt donata, eruitur sententia negativa.

Q. Quibus ex causis filius exhaeredari potest?

R. Ex novissimo jure sunt causae indignae successionis, et causae exhaeredationis.

Causae indignae successionis sunt: declarantur indigni successionis 1. damnati tamquam occisores, vel aggressores vitae defuncti. 2. Crimen capitale defuncto apponentes, idest crimen mortis, vel amissionis Civitatis. 3. qui defunctum ad conficiendum testamentum coegisset, vel illud contra propriam voluntatem obligassent. 4. qui defunctum facere testamentum prohibuissent. 5. scientes occisorem defuncti (modo sciant esse haeredes, et sint aetate majores) Magistratui ipsam occisionem non denunciantes intra sex menses a die scientiae, dummodo Magistratus ipse non inquirat, et non sint ascendentes, affines in eodem gradu, Conjux, fratres, vel sorores, patruus, vel avunculus, amita, vel matertera, vel nepotes occisoris, art. 648, et 649.

Causae ob quas filius exhaeredari potest, sunt 1. si gravi colpa parentes offenderit. 2. si illis alimenta negaverit. 3. si patrem furiosum neglexerit. 4. si captivum non re-

demerit, cum potuerit. 5. si filia, patre obstante, meretricium fecerit, art 849.

Q. Adestne casus, in quo indignus ob supradictas causas potest succedere, et adire haereditatem?

R. Aff., quando defunctus sciens illius indignitatem actu authentico, vel testamento illum idoneum reddit, art. 650, et 651.

Q. An statim ac filius committat supradicta delicta, exhaeredatus cernatur?

R. Neg., nam requiritur 1. ut exhaeredatio in testamento, vel actu authentico coram Notario declaretur a parente, et 2. ut ejus causa probetur ab illo, cui portio filii exheredati cedit, art. 448, et 451.

Q. An filiis exhaeredati filii aliquid debeatur?

R. Si filius expresse exhaeredatus in testamento praemoriatur parenti, exhaeredatio non officit juribus descendentium exhaeredati, art. 853.

Q. An exhaeredatus habeat aliquod jus petendum ab haereditate.

R. Si aliunde vivere non possit, potest solummodo alimenta ab haereditate petere, art. 854.

Q. Quaenam causae, ex quibus filius patrem exhaeredare potest?

R. Ex novissimo jure sunt. I. si filium captivum non redemerit, cum potuerit. II. si injuste alimenta negaverit. III. si furiosum neglexerit. IV. si pater matri venenum praebuerit, vel vicissim, vel graves injurias fe-

cerit. V. si vitae filii insidias struxerit, art. 850.

Adnotandum est, quod ad exhaerendum patrem requirantur ea, quae diximus ad exhaeredandum filium.

Q. Quinam succedunt ab intestato?

R. 1. descendentes, seu liberi, sive masculi, sive faeminae pro aequali portione; et si sint mortui, eorum filii, et filiae non in capita, sed in instirpe, art. 667. 2. ascendentes, seu parentes, cum quibus admettuntur fratres, et sorores defuncti, aut descindentes ex istis in portione aequali. 3. parenbus praemortuis, succedunt ascendentes proximiores sive in paterna, sive in materna linea etiam cum fratribus, et sororibus defuncti, sive istorum descendentibus, art. 671. 4. collaterales, seu fratres, seu sorores, vel ex istis descendentes. 5. Avunculi patrui, et amitae, et his deficientibus, collaterales proximiores usque ad XII. gradum cujuscumque sit lineae, art. 672. et 673. 6. si nullus adsit descendentium, ascendentium, et collateralium, succedit Conjux defuncti superstes, art. 683. Conjunge praemortua, haereditas fisco devolvitur, art. 684.

Q. An valeat legatum rei alienae vel rei pignoris alteri obligatae?

R. Legatum rei alienae, sive testator sciverit, sive non esse alienam, irritum est, art. 975. si testator rem hypotheca subjectam legaverit, haeres non tenetur illam ab hypotheca liberam reddere nisi expresse testa-

tor id significaverit. In quo casu si legatarius compulsus fuerit ab hypothecario debitum solvere, facta sibi cessione actionum, contra haeredem agere potest, art. 974.

Q. Quid dicendum si debitor leget creditori suo, quod debet?

R. Legatum non aextimatur factum creditori ad debiti extinctionem, art. 978.

Q. Quid si sine facto, et culpa haeredis res legata pereat?

R. Etiamsi haeres sit in mora, legatum legatario perit, quando res poenes legatarium etiam periisset, art. 991.

Q. Quid si vidua ad sui status decentiam patrimonium non habeat?

R. In casu debentur ex haereditate alimenta vitalitia, art. 689.

Q. Ut haeres non teneatur solvere debita testatoris supra vires haereditatis, quid agere debeat?

R. Mortuo Testatore debet inventarium conficere intra tres menses, art. 712.

Q. An ille, qui non conficit inventarium teneatur in conscientia solvere debita supra vires haereditatis?

R. Neg., quia jus Civile fundatur in praesumptione fraudis, quae praesumptio cedit veritati; licet non desint doctores contrarium tenentes quoad creditorum debita.

Q. An Testator possit concedere haeredi, ne inventarium faciat?

R. Neg.; quia non potest praejudicare creditoribus.

Q. Quinam dicuntur agnati, et quinam Cognati?

R. Agnati sunt Cognati per virilis sexus personas cognatione conjuncti, quasi a patre conati. Cognati vero, qui per faeminini sexus personas extraverso junguntur. *Inst. de legit adgnat. success. 1., et. Inst. de succes. cognat. 2.*

FINIS.

TRACTATUS
DE MONIALIBUS.
CAP. I.

De Statu Religioso in genere.

1. Q. Quomodo definitur status Religiosus Monialium?

R. Cum status Religiosus unum, idemq. sit tam in viris Religiosis, quam in mulieribus, ideo recte definitur. Status hominum ad perfectionem comparandam perpetuo tendentium per tria vota obedientiae, castitatis, et paupertatis.

2. Q. Sufficitne ad essentiam status Religiosi nudum propositum observandi tria consilia Evangelica?

R. Min., ad status enim Religiosi essentiam requiritur immobilitas, secus ad perfectionem perveniri non potest. Atqui haec immobilitas in nudo proposito non habetur. Ergo votum requiritur. Et quoniam in voto tantum perpetuo praedicta immobilitas habetur; hinc etiam votum temporaneum non sufficit. Adde, quod status Religiosus requirit obligationem personalem, et personae obligationem, quae in nudo proposito non

habetur, aut saltem non praesumitur haberi. Requiritur ergo votum perpetuum.

3. Q. Requiriturne approbatio Ecclesiae ad essentiam status Religiosi?

R. Si non requiritur ex natura hujus status, requiritur tamen ex Ecclesiae dispositione. Ita autem Ecclesia disposuit. 1. ut status iste habeat stimulum stabilitatis. 2. ut distinguatur a communi Christianorum statu etiam ab illa Ecclesia quae habet media, et lumina Religiosos istos ad perfectionem tendenter adjuvandi, dirigendi, fovendi. Hinc si hujus stati perfectionem inspicias, tunc erit approbatio Ecclesiae necessaria.

4. Q. A quo fieri debet haec approbatio?

R. A summo Pontifice, qui est caput, et representans Ecclesiae. Ita statuit Inn. III. *cap. de nimia de religionis domibus*; quod renovavit Greg. X. *cap. unico de Relig.* Ante Innocentium ex Ecclesiae auctoritate sufficiebat illa Episcoporum.

5. Q. Ad constituendum statum Religiosum requiruntur vota solemnia, an simplicia sufficiunt?

R. Quidquid alii dicant, ajo sufficere simplicia, modo sint Ecclesiae auctoritate firmata. Duc exemplum ex conciliis particularibus, quae generalia evadunt ex generali Ecclesiae acceptione. Sententia affirmativa colligitur ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*, in qua Pontifex definivit, quod in societate Jesu evadunt veri Religiosi, qui post biennium probationis simplicia vota emittunt.

6. Q. In quo consistit votorum solemnitas?

R. Quando quidem ex divo Thoma in voto solemni requiritur promissio, et datio, hinc solemnitas votorum consistit in irrevocabili conjunctione obligationem trium votorum cum approbata Religione facta annuente, et cognoscente Ecclesia.

7. Q. Quinam sunt effectus hujus solemnitatis?

R. 1. votum castitatis reddit voventem inhabilem ad matrimonium, et matrimonium ratum dissolvit. 2. votum paupertatis privat voventem omni dominio, et reddit inhabilem ad dominium captandum. 3. Haec tria vota, et singula inducunt firmiorem, et insolubilem obligationem, quae neque ex parte tradentis, neque ex parte acceptantis auctoritate Religionis, et ejus Praelatorum relaxari nequit.

8. Q. Potestne Sum. Pontifex in votis solemnibus dispensare?

R. Aff, stante urgentissima causa, et quidem boni communis, et hoc ex plenitudine potestatis.

9. Q. Potestne Sum. Pontifex dispensare Monialem professam ab uno vel atribus votis manente tamen Religiosa?

R. Neg., quia haec tria vota collective sumpta requiruntur ad essentiam status religiosi: hoc patet *ex cap. ad Monasterium de Relig. dom.*

10. Q. Nam votum solemne magis obligat quam simplex?

R. Aff., juxta D. Thomam, sed tantum per

accidens ex Ecclesiae institutione. Votum solemne enim specie idem est ac votum simplex.

CAP. II.

De Professione Religiosa.

11. Q. Quid est professio Religiosa?
R. Est contractus quidem moralis, quo quis seipsum voluntarie Deo tradit in determinata Religione approbata per emissionem trium votorum cum consensu Praelati nomine Ecclesiae vice Dei acceptantis ejus vota.

12. Q. Quotuplex professio?
R. Duplex expressa, et tacita. Illa verbaliter fit in manu Superioris. Haec fit quibusdam signis a jure statutis.

13. Q. Quaenam sunt haec signa?
R. Duo: Si Monialis per triduum se ingerit exercitiis professarum: si per triduum habitum professarum gestet. Quod si haec duo conjunxerit, post triduum est jam professa professione tacita ita *ex cap. vidua de Regul.* Haec signa jure antiquo etiam infra annum novitiatus inducebant professionem tacitam: jure vero Tridentini inducunt professionem tacitam post integrum annum novitiatus, et XVI. annum aetatis.

14. Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut haec signa inducant tacitam professionem?
R. Plures, et I. ut actus, quo illa inducitur, fiat de consensu Superioris, qui potest Mo-

nialem ad professionem admittere. II. ut actus fiat spontanee, non coacte. III. ut Monialis sciat per tales actus tacitam induci Professionem et IV. ut exerceat tales actus animo profitendi.

Q. Quaenam conditiones requiruntur ad validitatem Professionis?

R. Quaedam ex parte profitentis, quaedam ex parte Religionis.

Ex parte profitentis requiritur 1. aetas. 2. animus profitendi. 3. libertas, et ideo cum vi, metu gravi, et dementia non fit. 4. Potentia ad regulas servandas. 5. Ut non habeat impedimentum contra statum Religionis. 6. ut non sit alteri obstricta. 7. ut tria vota emittat. 8. ut annum integrum probationis expleverit. Ex parte Religionis requiritur 1. consensus Praelati Regularis, et majoris partis Capituli aut secundum consuetudinem, et privilegium. 2. ut religio sit approbata.

25. Q. An professio nulla obliget saltem uti votum simplex?

R. Dist. Si fuerit nulla defectu aetatis, aut integri anni probationis, tunc ex Trid. Sess. 25. nec etiam uti votum simplex obligat. Quod valet etiam, si fuerit nulla ratione dementiae, et vis, ad quod valet eadem ratio, quam in aetate cognoscit Trid. Si fuerit nulla ex alio capite, tunc quaestio; sed sententia affirmativa est probabilior, quia profitens intendit se obligare quantum in se

erat, sin autem constat de animo contrario, tunc ad nihilum obligat.

16. Q. Quantum temporis spatium conceditur reclamanti de sua invalida professione, ut possit exaudiri?

R. Quinquennium ex Trid. *Sess. 25. c. 19. de Reg.*

17. Q. Explorandane sit Professurae voluntas ante professionem?

R. Aff. ex Trid. loc. cit., et exploratio fieri debet ab Ordinario, vel ejus Vicario; hinc Abbadissa per mensem ante professionem debet monere Episcopum de tempore, in quo Novitia velit profiteri sub poena suspensionis ab officio arbitrio Episcopi.

18. Q. Incidantne in poenam cogentes novitias ad emittendam professionem?

R. Aff., incidunt in excom. nemini reservatam ipso facto, ut ex Trid. *Sess. 20.* Et in eamdem poenam incurrunt injuste impedientes.

19. Q. Expleto anno probationis potest differri professio?

R. Neg. nisi ex justa causa, ita ex Trid.

20. Q. Monasterium absq. simonia potestne aliquid temporale exigere a Moniali professura titulo sustentationis?

R. Tempore novitiatus potest, cum illa non sit membrum illius corporis, nec Monasterium potest laedi, et hoc ex Trid. *Sess. 25.* Ante professionem vero, ut possit profiteri invaluit usus exigendi dotem a parentibus, quae consuetudo fuit firmata ex decretis S.

Cong. relatis a Bened. XIV. in Synodo Diocesana.

21. Q. Quo tempore est solvenda dos, et quibus bonis?

R. In ipsa professione, non ante; nam hoc implicite prohibetur ex Trid. *Sess. 25.* Solvenda est autem numerata pecunia ex *decreto S. Cong.*, sed ex consuetudine etiam bonis stabilibus.

22. In quo usu a Monasterio expendi debet dos, si numerata pecunia solvatur?

R. In emptione fundorum frugiferum absq detrimento Monasterii.

23. Q. An Moniales absq. debita necessitate alienantes dotem incurrant in poenas latas contra alienantes bona Ecclesiastica?

R. Aff., incurrunt in excom. Papae reservatam.

24. Q. An translata Moniali ex uno ad aliud Monasterium, debeat etiam transferri dos data priori Monasterio?

R. Certum est apud omnes, quod si posterius Monasterium cogatur admittere dictam Monialem a priori Monasterio, solvenda est dos. Sin autem spontanee, et voluntarie Monasterium admittat illam, litigium inter Doctores. Juxta Sanchez, et alios non est solvenda.

25. Q. Ad quem spectat taxare dotem Monialium?

R. Per se videtur spectare ad Superiorem Monialium ex consensu majoris partis Monialium Monasterii, saltem ad evitandas Monia-

lium quaerelas: tamen standum est praxi, et consuetudini locorum.

26. An Moniales possint, si velint, unanimiter admittere aliquam Novitiam ad Professionem absq. solutione debitae dotis?

R. Neg. si sermo est de Monialibus Choristis; si vero de Conversis, possunt ex declaratione S. Cong.

27. Q. A quo tempore inchoari debet annus Probationis?

R. Licet in jure non reperiatur aetas praecise statuta, tamen ex dec. S. Cong. admittenda est post annum XV. completum. Ante hanc aetatem requiritur licentia S. Congreg.

28. Q. Num annus probationis debet esse integer, et continuus?

R. Aff. Integer a puncto ad punctum, et a momento ad momentum, adeo ut Professio facta non anno completo, etiam per modicum tempus, esset nulla. Continuus, ita ut Novitia si animo deserendi Religionem ex Monasterio exeat etiam per duas solas horas, teneatur renovare annum Probationis ex *dec. S. Cong.*

29. Q. Quid si Novitia exeat a Mon. infirmitatis causa?

R. In hoc casu annus probationis etiam interrumpitur, et tenetur semper incipere annum, ut ex *variis decretis S. Cong.*

30. Q. Per quanti temporis spatium possint Ordinarii, vel Praelati Monialium prorogare Professionem post annum probationis ex rationabili causa?

R. Usq. ad sex menses, quibus elapsis, si Professio sit ultra protrahenda, requiritur dispensatio Pontificis, quod decretum fuit a S. Cong.

51. Q. Quaenam sunt obligationes Monialium?

R. Quatuor. I. Obligatio tendendi ad perfectionem. II. Servandi vota emissa in Professione. III. Observandi Clausuram. IV. Recitandi divinum officium.

De Obligatione tendendi ad perfectionem.

52. Q. Quid sit Perfectio, ad quam tendere debent Moniales?

R. Perfectio assequibilis in hac vita juxta D. Th. est charitas perfecta. Perfectio charitatis ait S. Doctor est finis status Religiosi.

53. Q. An Moniales tenentur esse perfectae?

R. Neg., sed tenentur tantummodo semper tendere ad perfectionem, propterea in definitione dicitur status perpetuae perfectionis acquirendae.

54. Q. An teneantur Moniales sub mortali ad perfectionem tendere?

R. Aff., quia est obligatio substantialis, et praecipua sui status, ad quam ex vi professionis Moniales se adstrinxerunt. Ita com. Doctores.

55. Q. In quo talis obligatio consistat?

R. Consistit in continuo quodam motu erga perfectionem, itaut nunquam ab hoc motu, et progressu Monialis quiescat. Nec dicat: Satis est, sed semper ad altiora aspiret. Ita Sal.

56. Q. Utrum teneantur Religiosae per omnia Evangelica consilia ad perfectionem ire?

R. Neg., sed per illa tantum, quae sunt secundum Regulam, et observantiam Religionis. Ita D. Thomas 22. q. 186. ad. 2.

57. Q. Quando graviter peccat Monialis contra obligationem tendendi ad perfectionem?

R. Mortaliter peccat juxta omnes in sequentibus casibus.

1. Quando regulas, quae ad culpam venialem tantum, vel ad culpam nullam obligant, ex contemplu trasgreditur.

2. Quando omittit eas observare tamquam inanes, vanas, et inutiles.

3. Quando eo pravo fine Regulas non observat, ut impediat suam perfectionem.

4. Quando ejus pravo exemplo alias induceret ad regulae relaxationem.

58. Q. An Religiosa, quae intendit tantum servare mandata obligantia sub gravi, alias vero statuit trasgredi, vel de iis non curare an leviter peccet?

R. Quaestio inter doctores: alii dicunt peccare graviter, quia istud propositum est virtualis contemptus regularum. Alii negant, quia Professa cum velit tantum servare praecepta sub mortali obligantia, cum ista de se, et respectu aliorum sint mera consilia, jam tendit aliquo modo ad perfectionem.

39. Q. Ad quid tenetur Monialis voto paupertatis?

R. Obligatur hoc voto, ut nihil habeat proprium. Ita *ex cap. dicatis.*

40. Q. Nomine proprii, seu proprietatis quid intelligitur?

R. Hoc vocabulo intelliguntur tantummodo bona temporalia; pretio aestimabilia tam mobilia, quam immobilia, quorum dominio, vel usu, vel possessione Monialis se se in perpetuum abdicavit.

41. Q. An paupertas Religiosa privet etiam usu meri facti?

Q. Ante resp. praemittendum hunc usum consistere in actione, qua homo percipit utilitatem ex re aliqua, quamquam nullum jus in ipsam habeat: hoc posito, dico non privare hoc votum usu meri facti, quia hic usus non exercetur a Moniali nomine proprio, sed nomine Superioris.

42. Q. Utrum licitum sit Moniali habere peculium livellum, vel vitalium?

R. Dist. Vel in Monasterio non observatur vita communis ob inopiam, paupertatem, vel ob incuriam Abbatissae, et juxta omnes potest illud habere ad nutum Abbatissae vel Praelati. Vel observatur vita communis, et dico etiam licere saltem ex consuetudine, quia peculium fuit interdictum a Conc. Trid. uti probabiliter colligitur ex *cap. Ne-*

mini sed consuetudo hunc rigorem temperavit.

43. Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut Monialis possit licite uti peculio sibi concesso?

R. Quinque. 1. ut habeat illud dependenter a voluntate Superioris. 2. ut sit parata illud consignare ad nutum ejusdem Superioris. 3. ut eo non utatur nisi ad res licitas, et necessarias. 4. ut sit moderatum, et non superfluum. 5. ut sit poenes aerarium commune.

44. Q. An possit Monialis cum licentia Superioris cedere consanguineis fructus sui livelli?

R. Neg., sed requiritur licentia S. Cong., uti constat ex pluribus decretis ejusdem Cong., ut patet apud Lucium Ferrarum.

45. Q. Num possit Monialis pecuniam sui livelli tradere Monasterio cum pacto, ut Monasterium certos redditus, illius vita durante, sibi solvat?

R. Neg., Sic enim expresse decrevit S. Cong. ut apud Lucium Ferrarum.

46. Q. Quibus modis potest Religiosa contra paupertatis votum peccare?

R. Triplici modo. 1. vel male acquirendo 2. vel male possidendo. 3. vel male utendo.

47. Q. Quando male acquirendo?

R. Quando accipit rem etiam de iis, quae ad victum, et vestitum pertinent sine superioris licentia, ut *ex Cap. cum ad Monasterium.*

48. Q. Quid si aliquid ex bonis ipsius Monasterii accipiat sine licentia?

R. Etiam peccat contra votum, et violat Religionem simul, et justitiam; quia accipit alienum.

49. Q. Potestne Monialis pecuniam in mutuum sine consensu Superioris accipere?

R. Neg., quia sibi usurpat dominium rei mutuo acceptae. Excipitur tamen casus necessitatis, quia tunc praesumitur consensus Praelati.

50. Q. An sit contra votum paupertatis accipere pecuniam, vel aliud ad custodiam tantum?

R. Neg., quia nihil Religiosa sibi applicat. Potest tamen peccare contra obedientiam aliquando tantum.

51. Q. Quando male possidendo?

R. Quandc Monialis detinet rem aliquam pretio aestimabilem nomine proprio, scilicet sine Superioris licentia, vel si obtenta licentia, occulte ab ipsa detineatur, ut a Superiore inveniri nequeat.

52. Q. Quando denique Monialis paupertatis votum violat male utendo?

R. Quaudo aliquid ex rebus ad usum suum concessis in alium usum expendit, aut culpabiliter amittit, vel destruit; quia est actus dominii rem aliquam arbitrio suo disponere.

53. Q. An possit Monialis ex rebus sibi ad usum concessis aliquid detrahere, parcius vivendo, et alicui donare sine Superioris licentia?

R. Dist. Vel Moniali certa quantitas est adsignata, ut nec Monasterium teneatur aliud ei praestare, nec ipsam rationem reddere; et tunc potest, quia praesumitur consensus: aliter non potest. Ita *B. Ligorius cum aliis.*

54. Q. Monialis quomodo peccat violando paupertatis votum?

R. Peccat graviter, vel leviter prout est materia.

55. Q. Quaenam quantitas materiae requiritur, ut graviter peccet?

R. Discrepant doctores; sed cum Layman, et aliis putarem summam notabilem esse illam, quae pro furto obsolute statuitur, non vero illam, ut autumnant alii, quae statuitur pro furto filiorumfamilias.

56. Q. An eadem quantitas ad constituendam gravem materiam requiritur, tam si alienatio sine debita licentia fiat extraneis, quam Moniali ejus Monasterii?

R. Neg., sed major quantitas, quia Superior non est tam invitus de alienatione facta aliae Moniali, quam est invitus, si res extraneo donetur.

57. Q. Quomodo est mensuranda gravitas culpae in violatione voti Paupertatis quoad usum?

R. Mensuranda est non ex pretio rei concessae ad usum, sed ex ipso usu, videlicet quanti aexistimari possit talis usus.

58. Q. An paucula furtula commissa a Moniali per continuationem fiunt gravia?

R. Aff., omissa contraria sententia, quia fur-

tula moraliter inter se coalescunt; modo inter unum, et aliud furtum non intercedat tempus notabile, nec sit de osculentis, et poculentis sublatis ex bonis Monasterii ad suos usus; quia in his casibus Monialis peccat leviter, etiamsi perveniat ad magnam quantitatem.

59. Q. An Monialis teneatur ad restitutionem, quando sine licentia aliquid accipiat, vel donet?

R. Aff., quia violat justitiam commutativam.

60. Q. Ex quo facienda est restitutio?

Q. Ex peculio, vel annuis redditibus, et si peculium non habeat, juxta multos tenetur sibi aliquid subtrahere ex rebus sibi concessis ad usum.

61. Q. Quaenam licentia requiratur, ut possit Monialis absque peccato aliquid accipere, vel alienare?

R. Praemittere oportet triplicem considerari posse licentiam, I. expressam; II. tacitam, III. praesumptam. I. expressa est illa, quae verbo, vel scripto datur II. tacita, quando Superior vidit, et non contradicit, cum possit. III. Praesumpta, quando Monialis inconsulto Superiori, aliquid accipit, credens prudenter fore, ut Superior licentiam daret, si peteretur. His praemissis dico sufficere licentiam etiam tacitam, modo taciturnitas sit vera Superioris adprobatio, et non sit sola permissio. Praesumptam vero non sufficere, nisi in casu necessitatis, ut probabilius videtur cum Salm., aliisq.

62. Q. Num Moniales votum paupertatis violando in poenas aliquas incidant?

R. Incurrunt in privationem vocis activae, et passivae per biennium juxta Trid., quae est latae sententiae, ut declaravit Clemens in Bulla *Nullus omnino*. Insuper incurrunt in privationem Ecclesiasticae sepulturae, ut ex *Cap cum ad Monasteria*. In allatos casus incidit Monialis, quando violat votum habendo, vel retinendo aliquid nomine proprio, nonvero alieno.

63. Q. Moniales largientes munera, num incidant in aliquas poenas?

R. Ex Constitutione Clementis VIII., quae incipit *Religiosae* incidunt in privationem dignitatum, et officiorum, in inhabilitatem ad illa, et alia in futurum obtinenda, in infamiam, et privationem vocis activae, et passivae, quae quidem Constitutio non fuit quoad praescriptas poenas ab Urbano VIII. moderata in sua Constitutione. *Nuper.*

64. Q. Quid requiratur, ut Moniales munera largientes incidant in praescriptas poenas?

R. I. Quantitas sufficiens ad contrahendas has poenas. II. ut donatio, vel largitio fiat absque Superioris licentia. III. ut sit omnino liberalis, et gratuita, ut declaravit Urbanus VIII. Constitutionem Clementis VIII. moderando.

65. Quibus poenis afficiantur, qui largitionem numerum a Monialibus recipiunt?

R. Incidunt in casum reservatum Pontifici, si **donatio summam X. scutosum excedat. In-**

fra vero praescriptam summam incidunt in casum Cardinali Poenitentiario reservatum, modo donatio sit omnino gratuita, et sine licentia.

66. Q. Quam quantitatem expendendi possit Abbatissa concedere Moniali?

R. Si in Constitutionibus taxata est quantitas, et tunc juxta omnes haec taxa est servanda. Si vero non est taxata, litigium inter Doctores. Nonnulli dicunt esse ad decem, vel quindecim aureos singulis mensibus. Sed probabilius est taxanda arbitrio viri prudentis, inspectis circumstantiis causae largiendi reddituum Monasterii, in cujus commodum est.

67. Q. An Abbatissae possint facere aelemosynas, vel donationes de bonis Monasterii?

R. Aff., prout recta ratio dictaverit, cum ipsae sint administratrices bonorum Monasterii, modo haec facultas restricta et limitata non fuerit a Constitutionibus, vel a praecepto Praelati.

68. Q. Quid est votum obedientiae emissum a Moniali.

R. Est promissio facta Deo, qua Monialis propriam voluntatem Superioribus subjiciens se obligat ad parendum eis in omnibus, quae juxta propriam regulam juxte jubebunt.

69. Q. Ad quid ergo Religiosa tenetur ex vi voti obedientiae?

R. I. ad praecepta Regulae, quae promisit observare. II. ad omnia quae Superiores praecipiunt secundum Regulam sive directe, et expresse, sive indirecte, et implicite.

70. Q. Quibus Superioribus tenentur Moniales parere ex vi voti obedientiae?

R. Papae, Ordinario, vel Praelato Regulari, si ei immediate subjiciantur, et propriae Abbatissae, quia per votum istis se subjiciunt.

71. Q. Quid si Moniales emiserint professionem, quando Regula erat juris deformata et longeva consuetudine jam relaxata, num teneantur Praelatis obedire, si ab eis obligentur ad observantiam Regulae juxta pristinum Institutum?

R. Juxta multos tenentur, quia quamvis consuetudo vim habeat relaxandi Regulam, non tollit tamen Praelatis facultatem hujusmodi relaxationem amovendi, nec a subditis obligationem, ut ad Regulam reformatam teneantur, quae quidem sententia videtur probabilior, praesertim quando reformatio apparet medium necessarium ad Ob-

dinis conservationem, et ad vota essentialia conservanda.

72. Q. Num teneatur Monialis obedire Abbatissae in iis, quae sunt contra Regulam?

R. Neg., modo Abbatissae non fuerit a Praelato commissa facultas dispensandi, et legitima causa dispensandi subsit.

73. Q. Quid si superior aliquid praecipiat vel supra, vel infra, vel praeter Regulam, teneatur Monialis illud exequi?

R. Neg., quia ipsa non promisit obedientiam nisi secundum Regulam, nec refert, quod Regulae aliquando jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, se de obedientiae perfectione intelligitur. Ita Doctores com.

74. Q. Quando Monialis contra obedientiae votum peccat?

R. 1. quando non observat Regulam sub peccato praecipientem, quia talis Regula non est minus praeceptiva, quam vox Superioris. 2. quando transgreditur praeceptum Superioris juxta Regulam impositam, et graviter, et leviter in hisce casibus prout est praeceptum peccat.

75. Q. Quid si Regula sub peccato non obliget, num Monialis illam transgrediens, peccet?

R. Si trasgressio fiat ob justam causam, ac bonum finem, nullum peccatum committit, paratam tamen esse debet violatrix ad subeundam poenam. Si vero sine justa causa,

sed ex negligentia, et torpore est veniale peccatum.

76. Q. Quot peccata Monialis committit contra praecepta superioris operando?

R. Duo peccata unum contra Religionem ratione voti, alterum contra obedientae virtutem ratione traditionis de se ipsa factae in professione, ob quam etiam sine voto tenetur legitimo superiori obedire. Ita Salm. aliiq.

77. Q. Tenentur Moniales obedire Abbatissae quando in virtute obedientiae aliquid juxta Regulam illis praecipiat?

R. Aff., quidquid in contrarium sentiant, quia est vere Superior; et licet non possit jurisdictionem exercere, potest tamen tanqu m Ministra exigere obedientiam per votum promissam circa regulas, quae sunt a regula praeceptae.

78. Q. Potestne Abbatissa dispensare cum suis Monialibus in regula, aut in voto?

R. Neg., nisi ex commissione Praelati regulas dispensare; recte tamen potest de se declarare aliquando regulam non obligare. Vota vero particularia emissa a Monialibus Abbatissa non potest dispensare, neque commutare, sed tantum irritare. Ita Doctores com.

De obligationibus ad votum castitatis pertinentibus.

79. Q. Quid castitas Religiosa?
R. Est virtus, qua Monialis promittit Deo se se cohibituram ab omni delectatione venerea, tam licita, quam illicita; quae quidem virtus si integritati, et puritati carnis est conjuncta dicitur Castitas Virginalis, si vero non, simpliciter Castitas.
80. Q. Ad quid obligantur Moniales castitatis voto?
R. Obligantur ad perpetuo obstinendum non solum ab omni actu venereo sive interno, sive externo, contrario castitati, a quo quilibet Christianus vi juris naturalis divini extra conjungium debet se abstinere, sed etiam ab iis actibus, qui sunt conjugatis permissi.
81. Q. In quibus casibus Moniales violant castitatis votum?
R. Si deliberate capiant delectationem morosam de rebus venereis, si propriam pollutionem procurent, aut de ea aliunde secuta delectentur, si turpes foveant amicitias, si obscoenos habeant sermones, vel lascivia canant, librosq. turpes, et amatorios legant: si osculis, amplexibus, tactisque obscoenis carnaliter delectentur, si retineant impudicas immagines, vel aspiciant objecta inhonesta, vel valde ad libidinem provocantia; in quibus casibus, aliisq. similibus Moniales castitatis votum violant, atque adeo duo peccata committunt, unum contra castitatem, al-

terum contra Religionem ob violationem voti.

82. Q. Monialis, quae habet tactus impudicos cum alia Moniali, unum, aut duplex peccatum contra Religionem committit?

R. Duplex, quia violat votum propriae castitatis, et cooperatur violationi voto alterius.

83. Q. Monialis, quae in delectatione venerea secludit votum castitatis, et de ea delectatur tantum, uti persona humana, et non ut Deo per votum sacrata, num etiam in hoc casu peccet contra religionem?

R. Aff. juxta omnes: circumstantia enim voti est inseparabilis a persona, quae de re venerea delectatur.

84. Q. Num mortaliter peccet Monialis, quae matrimonium optaret sub conditione, si professione esset libera?

R. Neg.: Illa enim conditio aufert malitiam operis. Est tamen, inquit Cajetanus, haec fatua, et diabolica tentatio, quae ad peccatum ducere solet.

De Clausura.

85. Q. Quid est clausura?

R. Est spatium illud, quod intra januam Monasterii semper clausam continetur, intra quod spatium Moniales sistere se debent.

86. Q. Monialis quae ascendit super tegulas tecti ipsius Monasterii, num Clausuram violet?

R. Aff., modo conscendat tectum superpositum parietibus Monasterium integrum circumspicientibus, quia censetur esse extra

clausurae ambitum, ita *Bonac.* Si vero conscendat tectum, quod Monasterii interiorem ambitum respiciat, et tunc probabilius videtur non violasse Clausuram.

87. Q. Num Monialis sit rea violatae Clausurae, si super duos pedes toto corpore egrediatur a Monasterii janua?

R. Aff., etiamsi ad unum tantum pedem processerit. Clausura enim habet sua confinia, et natura confinii est indivisibilis; cum inter, intra, et extra non detur locus medius. Ita *B. Alph. Lig.*

88. Q. Quid vero dicendum de illa, quae sub ostio Clausurae subsistens unum tantum pedem efferat extra Clausurae terminos, altero intra retento.

R. Cum eodem B. Alphonso Lig. dicendum non violasse, et incidisse in crimine violatae Clausurae, quia perfecte non egreditur extra Clausurae confinia.

89. Q. Quo jure Moniales servare tenentur Clausuram?

R. Jure Ecclesiastico, et etiam naturali, si Moniales ad Clausurae votum se obstrinxerint. Animadvertendum vero est, Clausuram Monialium non ubique receptam esse. Vide *Laym. Tom. II. p.* 133.

90. Q. Quot peccata committit Monialis, quae Clausuram violat?

R. Contra praeceptum Ecclesiae, et etiam contra Religionem, si Clausuram voverit.

91. Q. Quaenam Moniales obligentur ad servandam Clausuram?

R. Omnes, et singulae Moniales professae cujuscumque ordinis illae sint, modo in Congregatione vivant. Ita ex *cap. Periculose Bonifacii VIII.*, renovato, et confirmato a *Trid. cap. V. Sess. XXV.*

92. Q. Quot modis violatur Clausura?

R. Duobus, per egressum Monialis extra septa, et per ingressum extraneorum intra septa Monasterii sine debita causa, et licentia.

93. Q. In quam poenam incidunt Moniales per egressum sine licentia?

R. Ipso facto in excomunicatione Papae reservata, quae extenditur etiam ad concedentes licentias egrediendi sine debita causa, ad comitantes, et recipientes, cujuscumque conditionis illi sint; etiamsi fuerint consanguinei. Imo praedictae Moniales egredientes, et Superiores facultatem concedentes incurrunt etiam in privationem dignitatum, administrationum, et officiorum, et inhabiles ad illa, et ad alia in futurum obtinenda efficiantur. Ita decrevit *Pius V. in Const. Decori et honestati.* Si vero Moniales exeant ob malum finem, incidunt in excomunicatione Papae reservata, et est casus specialissimae mentionis.

94. Q. Quinam possit ab hac excomunicatione, et praefatis poenis absolvere, et dispensare?

R. Quoad excomunicationem Episcopus, modo delictum sit occultum, ex *cap. Liceat. Trid.* Pontifex vero, quando delictum est publi-

cum, vel deductum ad forum contentiosum?
Excipitur Monialis, quam Episcopus potest absolvere ab hac excomunicatione, licet delictum sit publicum, ob impedimentum perpetuum, ut ex *cap. Monialis 33. de sent. excommunicationis.* Quoad alias poenas potest Episcopus, quia non sunt reservatae, ut apparet ex *cit. Bulla.*

95. Q. Ad quem pertineat facultatem Moniali concedere exeundi?

R. Ad Episcopum auctoritate propria in Monasteriis sibi subjectis: Delegata vero in Monasteriis Sedi Apostolicae immediate subjectis (in casibus necessariis). Ita *Trid. Sess. XXV. cap. V.*

96. Q. Quid dicendum de Monasteriis, quae Regularibus sunt subjecta?

R. Licentia egrediendi concedenda est tam a Praelato Ordinis, quam ab Episcopo, vel ejus Vicario, ut decrevit *Pius V. in cit. Bulla Decori, et Honestati* modo non adsit in aliquibus locis contraria consuetudo.

97. Q. Haec licentia debetne in scriptis concedi?

R. Aff., quia sic praescribitur ab eodem Pontifice in cit. Bulla, ubi habetur *ex causa cognita, et expresse in scriptis approbata.*

98. Q. Quaenam debeat esse causa, ob quam concedi possit facultas exeundi?

R. Juxta, et gravis, sic colligitur ex *Trid. Sess. XXV. cap. V.*, et ex cit. *Bulla Pii V.*

99. Q. Quaenam censetur justa, et gravis causa?

R. Jure antiquo in *cap. Periculose Bonifacii VIII.* justa causa censetur Infirmitas, ob quam Monialis nequeat cum aliis sine gravi periculo, vel scandalo commorari. Ex *Trid.* Causa relinquitur judicio Episcopi definienda. Ex *Bulla Pii V.* tres causae tantummodo exprimuntur, nempe Incendii, Epidemiae, et Leprae.

100. Q. Utrum Episcopus possit concedere facultatem egrediendi non solum ob tres allatos casus, sed etiam ob consimiles?

R. Litigant Doctores. Tamen videtur verosimilius, quod possit, licet in laudata *Bulla Pii V.* habeatur dictio taxativa *Nisi*. Tamen usu receptum est ob alias consimiles causas concedi posse exeundi licentiam.

101. Q. Monialis, quae ob justam causam obtinuit licentiam egrediendi, cessante causa, num teneatur reingredi?

R. Aff., imo statim ad hoc tenetur, ut decernitur a *Pio V.*

De poenis contra violantes Clausuram per ingressum.

102. Q. Quibus personis Ecclesiastica lege sit interdictus ingressus in Monasterio Monialium?

R. Omnibus cujuscumq. generis, aetatis, conditionis, et status, ut ea cap. *Periculose*, et ex Trid. *Sess. XXV. cap. V.*

103. Q. Num introducentes pueros, et puellas ante usum rationis in Monasterio Monialium incidant in censuram?

R. Quamvis ex communi Theologorum suffragio in Trid. Synodo non complectantur pueri ante usum rationis, tamen ex decretis S. Cong. incurrunt introducentes. Imo Abbatissa, quae hoc permittit, privatur officio, et voce passiva, et tanto magis dicendum de amentibus. V. *Ferrari.*

104. Q. In quam poenam incidunt violantes Clausuram Monialium per ingressum?

R. In excommunicationem nemini reservatam, uti patet ex *Trid. cit. Sess. XXX.* Si vero violetur Clausura ob malum finem, in excom. Papae reservatam, quae est specialis mentionis, quia est inter sex casus extra Urbem intra Italium, uti ex *Decreto Clementis VIII.* Denique non ob malum finem, sed ex praetextu facultatum jam revocatarum incurretur in excomm. Pontifici reservatam, ut ex *Bulla Greg. XIII. Ubi Gratia.* Quae quidem excommunicatio contrahitur etiam a Superioribus Monasterii, si ingredi

faciant, vel permittant aliquem ingredi praetextu facultatum, et praeter excomm. incidunt etiam in privationem officiorum, et in inhabilitatem ad ea.

105. Q. Num Praelati Seculares, vel Regulares in Monasteriis sibi subjectis possint ingredi Clausuram?

R. Aff.: sed in casibus tantummodo necessariis.

106. Num incidant in aliquam poenam in casibus non necessariis?

R. Aff., pro prima vice in Interdictum ab ingressu Ecclesiae: In secunda vice in suspensionem a munere Pontificali, et a Divinis: Pro tertia vice denique in excom. nemini reservatam, si sint Praelati Saeculares, si vero sint Regulares, in eamdem excom., et in privationem ab omnibus officiis, et dignitatibus etiam pro prima vice.

107. Q. Confessarii Monialium quomodo, et quando possint ingredi Clausuram?

R. Ex *Const. Alexandri VII.*: quae incipit *Felici* possint cum licentia ingredi Clausuram tantum ad ministranda Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis Sacramenta tam Monialibus, quam aliis personis infirmis ibi degentibus; necnon ad commendandam animam Agonizantium, et juxta S.Cong. debent ingredi induti superpellicio, et stola, atque sic immorari, sed circa haec standum est consuetudini.

108. Q. Num qui cum licentia in Monasterium ingreditur, graviter peccet, et in excom.

incurrat, si, finito negotio, statim non egrediatur?

R. Non excusatur a culpa gravi, si mora sit longa. Si mora sit brevis, per quadrantem scilicet, non peccat nec venialiter quidem, quia sic usu receptum est etiam quoad viros timoratae conscientiae. In excom. tamen non incurrit juxta probabiliorem sententiam, quia non dicitur Clausurae violator, qui cum licentia ingreditur.

109. Q. Medici quando, et quomodo possint Clausuram ingredi?

R. Ordinarius potest etiam de nocte in casibus urgentis necessitatis ex licentia renovata in singulis tribus mensibus: debet tamen associari a duabus Monialibus senioribus. Ita ex *decreto S.Cong.*. Extraordinarius vero tantum in defectu Ordinarii, vel quando cum Ordinario habendum est Collegium.

110. Q. Quinam possunt facultatem Monialium Monasteria ingrediendi concedere?

R. Omnes, qui concedere possunt facultatem egrediendi a Clausura.

111. Q. Quot conditiones requiruntur ad licentiam ingrediendi Claustra Monialium?

R. Duae. 1. licentia specialis, ut ex *cap. Periculose* habetur. 2. et inscriptis, nisi periculum sit in mora, ut *Trid. Sess. XXV. cap. 5.*

112. Q. Est ne valida licentia specialis quoad causam ingressus, quando est generalis quoad personas?

R. Litigium. Alii affirmant, quia revera est

specialis. Alii cum B. Alphonso negant, quia non solum Ministerium, sed etiam qualitates ingredientium inspiciendae sunt.

113. Q. Quaenam causa requiritur ad hanc licentiam concedendam?

R. Necessitas, ut *Trid. cap.V. Sess.XIV.* Quae quidem necessitas debet esse ex parte Monasterii, non ex parte ingredientium, nisi aliud jus divinum, vel naturale suadeat.

114. Q. Haec necessitas stricte, an late sumenda est?

R. Late: intelligitur enim necessitas moralis, nempe quaecumque causa rationabilis, sive probabiliter justa. Ita Communiter.

De iis, quae respiciunt Confessariorum approbationem pro Monialibus.

115. Q. An Confessarius generaliter approbatus in Dioecesi possit valide audire confessiones Monialium sine altera approbatione?

R. Neg., sed requiritur specialis approbatio ab Ordinario loci, sive Monasteria subjecta sint sibi, sive Regularibus, ita statuit *Clemens X. in Const. Superna*, et a *Gregorio XV. in Const. Inscrutabili.*

116. Q. An ipsi Praelati Regulares, Generales, vel Provinciales indigeant approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus earum, quae sub gubernatione eorum existunt?

R. Neg.: Isti enim sunt veri Parochi earum Monialium; ideoque habent circa eas jurisdi-

ctionem ordinariam; Sic videtur definitum contra alios contrarium sensientes a *Benedicto XIV. Bulla*; *Pastoralis officii.*

117. Q. Num Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, censentur approbati pro Monialibus alterius Monasterii?

R. Neg., ut patet ex *Const. citata*; *Superni Clementis X.* Nec semel approbati censentur semper approbati. Excipitur tamen tempus Jubilaei, in quo possunt Moniales Confessarium eligere, etiam semel approbatum ab Ordinario pro Monialibus, nisi constet eumdem Confessarium fuisse postea ob demerita positive reprobatum, uti clare colligitur ex *decreto Sac. Poenitentiar.*

118. Q. Confessarii extraordinarii approbati pro una speciali Moniali possunt excipere confessiones plurium Monalium saltem ejusdem Monasterii?

R. Neg., uti patet ex cit. *Bulla Superna.* Nam toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit.

119. Q. Quot Confessarii deputandi sint ad excipiendas Monialium confessiones in singulis Monasteriis?

R. Duo sunt deputandi, quorum unus, qui dicitur ordinarius, excipere debet confessiones totius communitatis, alter deputandus est ab Episcopo, vel ab aliis Monasteriorum Praelatis, duobus, vel tribus vicibus in singulos annos, qui omnium confessiones audiat, et hic dicitur extraordinarius. Ita

ex decreto *Trid. Sess. XXV. cap. X.* Et quamvis Concilium in cit. decreto loquatur de solis Monialibus Claustralibus, *Clemens XI.* hortatur Antistites, ut hanc disciplinae formam observent etiam cum aliis Monialibus, quae Clausurae legibus minime adstrictae sint.

120. Q. An Moniales omnes ex decacto Trid. teneantur Confessario extraordinario confiteri?

R. Neg.: Nam idem Concilium declarat Confessarium extraordinarium excipere debere confessionem earum, quae eidem confiteri velint. Omnes tamen etiam Priorissa, Novitiae, et etiam aliae seculares in Monasterio degentes, debent extraordinario se sistere, saltem ad salutaria monita audienda extra confessionem.

121. Q. An Episcopi, aliique Rectores Religiosarum possint concedere Confessarium extraordinarium pro Moniali particulari?

R. Possunt ex aliqua speciali ratione, uti nonnulla decreta S. Cong. id confirmant, et approbant. Imo etiam singulis Monialibus ad earum quietem conscientiae, ut hortatur *Benedictus XIV. in cit. Const. Pastoralis.*

122. Q. Quo tempore confessarii Monialium durare possint in quolibet Monasterio in excipientibus confessionibus?

R. Ordinarius solum triennio, quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem Monasterio sine licentia S.Cong.; aliter declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. Extraordinarius vero pro Communitate po-

test deputari a Superioribus quolibet anni tempore.

De aliis praecipuis obligationibus Monialium.

123. Q. An, et quo jure Moniales tenentur recitare horas canonicas?

R. Tenentur, si sint ex deputatis ad Chorum, et sub gravi publice in Choro officium divinum persolvere, non ex aliquo praecepto, sed ex antiqua Ecclesiae consuetudine ubique recepta, et ex statutis fere omnium Religionum, ut colligitur a *Clem. de celebrat Miss. cap. Dolentes.*

124. Q. Monialis legitime impedita ad Chorum, teneturne horas canonicas privatim persolvere?

R. Aff., et sub gravi. Ita ex ipsa consuetudine.

125. Q. An Moniales Choristae teneantur recitare extra Chorum officium, quod pro benefactoribus solent certis diebus recitare in Choro, si a Choro absint?

R. Neg., etsi sint ex obligatione justitiae, quia est onus totius Communitatis, non vero singularium. Ita *Gavantus afferens dec. S. Cong. Rituum.*

126. Monialis ad Chorum non deputata, ad quid tenetur.

R. Ad praeces sibi loco officii impositas, sed non sub gravi, quia haec obligatio non oritur ex consuetudine, sed a regula, quae

communiter, quoad hoc non obligat ad culpam gravem.

127. Q. Moniales tenenturne deferre abitum, et tonsuram?

R. Tenentur deferre habitum in omni occasione sub gravi ex *cap. 2. Ne Clerici vel Monachi.* Imo dimittens habitum Professionis cum plena scientia, et causa occultandi statum, incurrit ipso facto in *excommunicatione.* Quoad tonsuram tenentur etiam ex *Clem. Attendentes de statu Monachorum.*

128. Q An Moniales tenentur ad Sacramentorum frequentiam?

R. Aff., ex dispositione *Conc. Trid. Sess. 25. cap. X. de Regul.* singulis mensibus ad confessionem, et Eucharistiam, non tantum ex praecepto, sed ex consilio, uti communiter, quia in cit. cap. Concilium utitur verbo *admoneatur.*

129. Ad quid tenetur Abbatissa speciatim?

R. Tenetur sub mortali abusus, et relaxationem regulae exstipare, si possit.

De Canonica Electione Abbatissae.

130. Q. Ad quem spectat electio Abbatissae?

R. De jure communi ad Monasterium, cui illa praeficere debet, ut ex *cap. Solemnitatibus de elect. in V.*, et ex *Trid. Sess. 25. cap. VI., et VII.* Dixi de jure comuni, quia in hac re servari debent singulorum ordinum, seu Monasteriorum Constitutiones.

131. Quid requiritur ab hoc in Moniali, ut

eligi possit in Abbatissam vel Priorissam?

R. Requiritur, ut sit professa non minor 40. annis, et laudabilis vita 8. annorum post. professionem iu Monasterio, sic *Trid. Sess.25. de Regul.*

132. Q. Quid faciendum, si desit in Monasterio talem aetatem habens?

R. Ex eodem Concilio potest eligi Monialis 30. annornm, et quinque professionis, vel alia ex alieno Monasterio ejusdem ordinis, et etiam alicujus ordinis; sed hoc nounisi cum consensu S. Cong.

133. Q. Quaenam Moniales non possunt eligi in Abbatissas?

R. Illegitimae, infames. corruptae, uti viduae, nisi corruptio fuerit occulta ex *Declaratione Cong.* Item neque caecae, neq. surdae, neq. mutae. Vide *B. Alphonsus de Ligorio.*

134. *Q.* An electio Abatissae fieri debeat per vota secreta?

R. Ita ex decacto. Trid. in cit. *Sess. 25. de regul. cap. VI.* Notandum, quod si aliqua Monialis sit in lecto infirma, ejus votum etiam est recipiendum vel per scriptum, sigillo munitum, vel per duas Moniales a Praesidente electionis deputatas, uti decrevit *S. Cong.* ut notat Natalis de Alex.

135. Q. Quae requiruntur in Moniali, ut possit concurrere ad electionem Abbatissae activam?

R. Ut sit Professa, et Chorista. Conversae enim non admittantur ad electionem Abatissae activam.

136. Quinam debeant praesidere electioni Abbatissae?

R. In Monasteriis non exemptis, vel Sedi Apostolicae immediate submissis praesidet Episcopus vel per se, vel per suum Vicarium. In exemptis Praelatus Regularis una cum Episcopo ex *Const. Greg. XV. Iscratabilis.*

137. Q. Et a quo debeat confirmari Abbatissa electa?

R. Si Monasterium sit immediate subjectum Sedi Apostolicae, a Pontifice (idque per Procuratorem) sin autem, ab Ordinario, vel a Praelato Regulari, prout Monasterium Ordinario, vel Praelato Regulari est subjectum.

138. Ad quantum tempus fieri debet electio Abbatissae?

R. Solum ad triennium ex *decreto Gregorii XIII. Exposuit*; alias electio est nulla. Neque in Vicariam eligi potest, si forte nova Abbatissa deficiat; quia praecipit Pontifex, ut Abbatissa anterior per triennium prorsus careat auctoritate.

De Velo Consecrationis Monialium.

139. Q. Quotuplex sit velum?

R. Multiplex: velum probationis, quod datur a principio Novitiae, et solet esse album. Velum professionis, quod datur in actu professionis feminae, sive sit virgo, sive sit vidua, Religionem profitenti. Velum ordinationis, quo decoratur Monialis ordinanda in diaconissam. Velum praelationis, quod da-

datur Abbatissis. Velum continentiae, quod viduis professis tantum imponitur. Velum consecrationis, quod datur virgini professae.

140. Q. An omnes hae veli species sint hodie in usu penes Ecclesiam?

R. Neg., sed tantum velum probationis, professionis, et consecrationis, de quo hic aliqua sunt dicenda.

141. Q. Quaenam requiruntur in Moniali, ut possit licite velum consecrationis accipere?

R. Plura. I. ut sit virgo, ut habetur in cap. *Devotis*. II. ut expleverit XXV. annum, ut in cap. *Placuit* statuit *Concilium Chartag.* III. ut sit professa in ordine approbato. IV. ut non sit ex ordine Mendicantium, ut declaravit *S. Cong. Episcoporum.*

142. Q. Quare Monialis debeat esse virgo, ut consecrationis velum accipiat?

R. Quia hoc velum repraesentat Conjugium Spirituale Christi, et Ecclesiae quoad integritatem, quae quidem integritatis significatio plene potest esse in continentia Virginali.

143. Q. A quo sint Moniales velandae?

R. Ab Episcopo. Solus enim Episcopus, cui committitur cura Ecclesiae, Virgines desponsat non sibi, sed Christo, quasi Sponsi Paranymphus, et amicus. Ita *D. Th.* 4. *dist.*5.

144. Q. An Virgo, quae per vim fuit violata, possit velum accipere consecrationis?

R. Neg., licet enim ista retineat virginalem laudem, et proemium, a velo tamen consecrationis abstineri tenetur perinde atque a-

liae corruptae. Ita D. Th. *in 4. dist. 38. quaest. 1. art. 5.*

145. Q. Num Virgo per vim oppressa a velo consecrationis debeat se abstinere, sive res sit occulta, sive sit notoria.

R. Si Virgo est certa, se nullo modo delectationi isti consensisse, et res est omnino occulta, videtur posse consecrari, ut putat Lessius. Nec obstat decretum Leonis Papae, quo hortantur hujusmodi Virgines contaminatae ad non se virginibus copulandas. Nam Pontifex loquitur, quando res est notoria; tunc enim ob suspicionem consensus, et indecentiam externam non sunt velandae.

146. Q. An idem dicendum, si Virgo in sui degradationem consenserit, et ejus corruptio sit etiam occulta, itaut integra adhuc quoad omnes aestimetur?

R. Neg., sed debet se a velo abstinere, aliter peccat, si petat, et accipiet consecrationem corruptione sua dissimulante. Ita Comm.

147. Quid si absque scandalo, vel sui infamatione non possit haec corrupta a consecratione se abstinere?

R. Juxta multos potest haec Sanctimonialis professa consecrationis velum non quidem petere, sed oblatum acceptare, nec mendacium ista profert, dum interrogata ab Episcopo de carnis integritate, respondit se esse Virginem, intelligendo se talem esse juxta communem hominum aexistimationem.

148. Q. An Monialis, quae voluntaria seminis effusione est polluta, integro tamen

remanente claustro, possit velum consecrationis accipere?

R. Licet coram Deo incorrupta non sit, neque virginitatis lauream in Coelo habitura, quia tamen claustrum virginitatis illaesum adhuc servat, videtur posse licite velum consecrationis accipere, tum quia Ecclesia solam carnis integritatem requirit, ut habetur in *Pontificali Romano*, tum quia apud homines virgo censetur.

149. Q. An Episcopus, cui tantum lapsus Monialis corruptae est notus, possit, et debeat eam repellere, si ad eam consecrandam vocetur?

R. Dist. vel Episcopus illam notitiam ex confessione habet, et non potest, neq. tenetur, cum id fieri non posset absq. fractione Sigilli Sacramentalis. Vel id scit extra Sacramentum, per secretam scilicet revelationem ipsius Monialis, et tunc si aliquo colore se excusando nullum subsit periculum scandali, nullamq. offerat Moniali infamiam, et sic potest se subtrahere ab illo onere; sin aliter nec potest quidem, nec tenetur eam repellere, quia ex justitia tenetur servare secretum. Hinc potest illam consecrare mutato tamen in consecrandam nomine Virginitatis, in nomine Castitatis, vel Continentiae. Ita D. Th. *in 4. Dist.*

150. Q. Quid si adstantes per hanc vocis mutationem intelligant Monialem consecrandam non esse Virginem, quomodo in casu se gerere debeat Episcopus?

R. Juxta Navarrum potest pronuntiare verba consecrationis, quae virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem tamquam significantia castitatem; vel juxta alios intelligendo illam Virginem esse juxta communem hominum aexistimationem.

De Educandis.

151. Q. An puellae recipi possint in Monasteriis Monialium educationis gratia?

R. Aff., ut patet ex pluribus *S. Cong. Ep., et Reg. Decr.*, et signanter in *Hieracensi* 31. Aug. 1575.

152. Q. An Monasteria omnia possint ad educationem puellas recipere?

R. Neg., sed ea tantum, in quibus adest consuetudo ad educationem puellas recipere. Monasterium enim, in quo vel non viget consuetudo, vel expresse est ei prohibitum, non potest ad educationem puellas admittere. Ita pluries decrevit eadem *S.Cong. Ep., et Reg.* et signanter in *Parmen. 31. Octobris* 1613.

153. Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut puellae educandae in Monasterio recipiantur?

R. Plures I. ut puellae intra Monasterium habitent in loco separato tam a dormitorio Monialium, et Novitiarum, quam a loco, in quo ipsae Moniales vacare solent operibus manualibus. *Sac. Cong. Ep. et Reg. in Novare 1. Junii* 1595. II. ut quaelibet suum lectum separatum habeat; eadem *S. Cong. in Cameri: 16. Martii* 1593. III. ut non re-

cipiantur nisi de expressa licentia *S. Cong. in Hieracensi* 1575., et hoc sub poena violatae Clausurae. IV. ut adsit consensus Superioris, et Monialium per secreta suffragia d. *S. Cong. in Duten* 27. *Maii* 1607. V. ut quaelibet recipietur sola sine Ancilla. dict. *S. Cong. in Neap.* 12. *Martii* 1619. VI. ut puellae utantur vestitu, qui verginali modestiae, et pudicitiae convenit dict. *S. Cong. in Hierac.* 31. *Aug.* 1595. VII. ut puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major 25. annis, eadem *S. Cong.* 27. *Maii* 1607. VIII. ut praedictis puellis alimenta praestentur quolibet semestri in poecunia anticipata. Eadem *Cong. in Bertonensi* 27. *Maii* 1612.

154. Q. An licentia pro admissione puellae educandae in Monasterio intellegatur concessa Moniali particulari?

R. Neg., Licentia enim recipiendi in educationem conceditur solum Monasterio in communi, non vero Monialibus particularibus. Ita decrevit *S. Cong. Ep. et Reg. in Placentina* 28. *Feb.* 1514.

155. Q. Post obtentam licentiam requiriturne consensus Episcopi, ut puella educanda in Monasterio recipiatur?

R. Vel Monasterium est Ordinario subjectum, et ejus consensus requiritur. Vel est Regularibus subjectum, et non requiritur, cum *S. Cong.* licentiae executionem Ordinario non commiserit, ita eadem *S. Cong. Ep. et Reg. in Creman. Terrae Soncini 4. Septembris* 1690.

156. An prohibitum sit in eodem Monasterio

ad educationem recipere plures sorores, quam duas?

R. Neg., sic decrevit eadem *S. Cong. Ep., et Reg. in Turnien. 11. Jan.* 1622. Prohibitio enim non est de educandis, sed tantum de amittentibus ad professionem.

157. Q. Puellae educationis causa in Monasterio introductae utrum teneantur ad Clausuram ad instar Monialium?

R. Aff., ita ut egredi a Monasterio absque superioris licentia non est eis permissum. Ita Communiter.

158. Q. Puella e Monasterio egressa absq. Superioris licentia, num incurrat in excomunicatione violatae Clausurae?

R. Neg., licet alii in contrarium sentiant. Jura enim indicentia Clausuram sub excomunicatione loquuntur solum de Monialibus tacite, aut expresse professis.

159. Q. Puella educanda, si nubere velit, num possit ad Crates Monasterii Sponsalia inire?

R. Neg., et Abbatissa, quae Sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad Crates Monasterii, deponitur ab officio, voceque activa, et passiva privatur. *S. Cong. Ep., et Reg. in Placentina* 16.*Januarii* 1635. Ordinarius autem habita notitia, quod educanda contraxerit Sponsalia, debet eam a Clausura dimittere. Ita eadem *S. Cong. in Assisien.* 20. *Septembris* 1599.

160. Q. Denturne alii casus, in quibus educanda sit dimittenda?

R. Aff., et I. dimittendae sunt puellae, si

sine speciali facultate receptae sunt ante VII. annum completum; uti pluries *S. Cong. Ep.*, *et Reg et signanter in Campaniensi* 11. *Septembris* 1646. Vel si compleverint annum XXV. Item demitti debent, quae non solvunt alimenta. Eadem *S. Congr.* 11. *Sept.* 1648. Item si detegantur energumenae, vel gravidae eadem *S. Cong. in Ferrarien.* 12. *Januarii* 1613. et multo magis si pariant *S. Cong. in Mediolan.* 10. *Feb.* 1651.

161. Q. Cogentes puellam ad ingressum Monasterii causa educationis, num peccent?

R. Vel puella est impubes, et potest licite cogi ab omnibus, qui habent in eam potestatem dominativam. Si vero est pubes, et cogentes peccant, etiamsi sint parentes, quia non potest puella cogi ad tam arctam, et rigidam custodiam, nisi ob aliquam circumstantiam talis ingressus censetur moraliter necessarius ad custodiam puellae.

162. Q. Dato, quod peccant cogentes puellas puberes ad ingressum Monasterii, num incidant in excommunicationem latam a Trid. contra cogentes ad Monasterium?

R. Litigium inter Doctores, at videtur probabilior sententia affirmativa. Nam per illum ingressum datur occasio, ut postea puella Monasterium ingressa suscipit habitum involuntarie.

163. Q. Quid si aliqua educanda in Monasterio aegrotet in periculo vitae, an possit restare, si velit?

R. Aff., et Ordinarius concedere debent licentiam Notario cum testibus ingrediendi Claus

suram *S. Cong. Cardinalium*? 1595.

164. Q. Ubi sepelienda, si secedat?

R. Quamvis de hac re in diversas abierint Theologi sententias, tamen novissime fuit quaestio soluta a *S. Cong. in Feretrana* 11. *Aprilis* 1742. quae definivit, educandas decedentes in Monasterio, non sibi electa Sepultura, sepeliendas esse in Parochia, sub qua situm est Monasterium, si non habeant sepulcrum majorum; sed si elegerint sepulturam in Monasterio possunt ibi sepeliri.

165. Q. Quid si aliqua ex educandis velit postea ad habitum Religionis transire, num possit ad illum admitti sine aliquo requisito?

R. Neg., sed requiritur denuo consensus Superioris, et Monialium per secreta suffragia. Item pluries *S. Cong. decrevit*, *et signanter in Placentius* 6. *Feb.* 1615. Insuper, ut Episcopus, vel ejus deputatus exploret, an coacte, an seducta sit, an sciat, quid agat juxta Trid. *Sess.* 25. *de Reg.*, et *Monial. Cap. VII.* et hoc est servandum etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, ut saepius declaravit *S. Cong. Concil. et sig.* 13. *Novembris* 1627.

166. An Mulieres nuptae et viduae, vel famulae possunt in Monasteriis Monialium recipi?

R. Mulieres nuptae, et viduae, quae volunt permanere in habitu laicali nequeunt de licentia etiam Ordinarii in Monasteria introduci. Famulae vero, seu Ancillae possunt de sola licentia Ordinarii, se tantum in casu necessitatis, et in obsequium ipsius Monasterii, non vero pro servitio alicujus par-

ticularis Monialis. Ita ex pluribus decretis *S. Cong. Ep. et Reg. ut signanter in Neap.* 12. *Aug.* 1786.

167. Q. Utrum educandae possint licite ad Crates Monasterii musicam, seu cantum figuratum addiscere?

R. Neg., uti eadem S. Cong. decrevit, imo in nostra dioecesi adest poena excomunicationis ferendae sententiae non solum contra educandas, sed etiam contra permittentes facultatem hunc cantum in Monasterium degentes edocendo. Ex *nostra Synodo de Sanct. p.* 4. 4. 5.

De aliquibus casibus in nostra Neapolitana Dioecesi reservatis.

168. Q. Moniales, quae occasione officiorum faciunt de proprio expensas, vel ante, vel post suscepta officia, num incidant in aliquam poenam?

R. Incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, et haec poena extenditur etiam ad Moniales in Conservatoriis, vel in oblatarum domibus degentes, ut colligitur ex *nostra Synodo pag.* 193. *n.* 25.

169. Q. Utrum Monialibus interdictum sit personas quascumque utriusque sexus in Ecclesias suas invitare praetextu alicujus festivitatis, et functionis?

R. Aff., et contra facientes incidunt in excomunicationem Ordinario reservatam, quae excomunicatio contrahitur etiam in qualibet

persona, sive laicus sit, sive Ecclesiasticus, cujus opera invitationes fiunt, ita in *nostra Synodo pag.* 125. *n.* 4. *Monitum.*

Animadvertendum est, istos casus Invitatationum scilicet, et expensarum non continetur in generali concessione absolvendi a casibus ab Ordinario reservatis, sed indigent speciali concessione, ut potest ex declaratione ejusdem *Synodi pag.* 72. *n.* 38.

170. Q. Num loquentes sine licentia nostri Ordinarii, vel ejus Vicarii cum Monialibus, vel cum aliis in Monasteriis degentibus, peccent, et incidant in aliquam poenam.

R. Peccant graviter, et incidunt in excomunicationem nostro Ordinario reservatam, sive locutio sit de indifferentibus, sive sit de ob scoenis. Sic ex *casu V. in nostra Tabella.*

171. Q. Num adsit aliquod discrimen inter ambas hasce locutiones?

R. Aff., nam locutione de indifferentibus eximantur I. Consaguinei in I. et II. gradu, ut ex verbis nostri casus 2. Mulieres, et 3. qui loquuntur cum Monialibus ad breve tempus; secus dicendum de loquentibus cum Monialibus de obscoenis.

II. Locutio de indifferentibus comprehendit tantum obloquentes cum commorantibus in Monasteriis, at de obscoenis comprehendit etiam loquentes cum degentibus in Conservatoriis et Collegiis.

III. Locutio de indifferentibus respiciet tantum loquentes, de obscoenis respicit etiam agentes obscoena coram ipsis.

IV. Prima respicit tantum praesentes, secunda etiam absentes per literam, vel per internuncios, etiam mittentes, et deferentes, quamvis in eodem Monasterio commorentur, modo literae pervenerint ad quam missae sunt.

V. Denique excommunicatio ob locutionem de indifferentibus non est specialiter reservata. At excommunicatio ob turpia est specialiter reservata, quando haec turpia dicuntur, vel aguntur, vel scribuntur ad degentes in Monasteriis.

172. Q. Num Regulares, et Peregrini hujusce status Sanctione, et poena teneantur?

R. Aff., quia in hoc Ordinarius procedit tanquam Sedis Apostolicae delegatus, ideoq. ad ista servanda omnes tenentur.

173. Q. Gaudentne Moniales privilegio Canonis contra injicientes manus violentas in eis?

R. Aff., ut habemus in *cap. Veniens* 16. *de Sententia excommunicationes.*

FINIS.

A S. E.

MONSIGNOR COLANGELO

Presidente della Giunta per la Pubblica Istruzione.

Eccellenza

D. Vincenzo Apicella Confessore Napoletano desidera stampare l'opera intitolata *Tractatus de Contractibus juxta jus novum cum additione tractatus de Monialibus* = Supplica perciò l'E. V. Rev. di commetterne la revisione. L'avrà a grazia ec.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione.

A dì 2. Luglio 1828.

Il Regio Revisore Signor D. Andrea Ferrigno avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, e di osservare, se siavi cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità = Il Deputato per la revisione de' Libri = Canonico Francesco Rossi = Eccellenza Reverendissima = In esecuzione de' venerati comandi di V. E. Reverendissima ho riveduto l'opera intitolata = *Tractatus de Contractibus juxta jus novum cum additione Tractatus de Monialibus* composta dal dottissimo Sacerdote Napoletano D. Vincenzo Apicelli, che desidera pubblicarla per le stampe, ed avendovi per tutto trovato sodezza di principj, precisione di discorso, e nettezza di conseguenza, stimerei potersi dare alla Luce per esser salvi in ogni parte i dritti della Religione, e del Trono, le Patrie Leggi, e l'onestà dei Costumi. Sottomettendo questo mio debole giudizio a quello purgatissimo, di cui va adorno Vostra Eccellenza Reverendissima, di cui dopo il bacio delle Sacre mani, con profondo ossequio mi dichiaro =

Divotiss. Obbligatiss. servo vero

Andrea Ferrigni Regio Revisore.

Napoli li 12. Giugno 1828.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione.

Vista la dimauda del Sacerdote D. Vincenzo Apicella, con la quale chiede di voler stampare l' Opera iutitolata *Tractatus de Contractibus juxta jus novum*, *cum addictione tractatus de Monialibus*;

Visto il fàvorevole parere del Regio Revisore D. Andrea Ferrigni;

Si permette, che l' indicata Opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente

M. COLANGELO

Il Segretario Generale e membro della Giunta
L' aggiunto.

ANTONIO COPPOLA.